De

THERMIS TRENTSINENSIBVS

Commentariolus,

Hiſtorico-Phyſico-Medicus.

Auctore

D. Andrea Herrmanno,

Eminentiſſimi S. R. E. Cardinalis
Presbyteri EMERICI, e Comitibus
CSÁKY de Kereſztſzeg, etc.
Perſonæ Medico.

Lipſiæ, apud Petr. Con. Monath.
MDCCXXVI.



Lectori Beneuolo,

S. P. D.

Andreas Hermannus.

Commentariolum, quem vides, de Thermis Trenstinensibus, *Eminentissimi S. R. E. Cardinalis Presbyteri, Dn. Dn. EMERICI, e Comitibus Csáky de Keresztszeg, reliqua*, iussu, longe gratiosissimo, anno superiore, concinnatum, postea vero, nouis adauctum obseruationibus, vt iam publici iuris faciam, non me inanis studium gloriolæ, quæ in re tam exsili, propemodum nulla est; sed publicæ vtilitatis, quam vnice promotam cupio, rationes induxerunt. Atque hinc est, quod non tam conquisiuerim, quæ opusculo eruditionis laudem conciliarent, quam quæ ad eorum vtilitatem pertinere crederem, qui *Thermis Trenstinensibus*,

 cum

cum bona fruge, vti in poſterum voluerint. Quorſum et ea diligentia, quantulacunque ſit, pertinet, qua in naturam calidarum indagaui, curioſius forte, quam id, artis ſpagyricæ ignari, ferre poterunt. Nempe, adſentior, doctiſſimo viro, *PHILIPPO JACOBO SACHS a Levvenheim*, alicubi ſcribenti: *Nulla curioſitas homini chriſtiano, magis digna contemplatione, rerum naturalium. Hæc, ſi Theologiam demas, omnium ſcientiarum præſtantisſima eſt; nulla latior, excellentior, placidior, vtilior, immo, auſim dicere, diuinior.* Iſtud vero eſt, quod equidem, ſicuti ciuibus meis, quibus hæc adyta rimari datum eſt, vniuerſim; ita, cumprimis, *Philoſophiæ ac Medicinæ Doctoribus*, etiam atque etiam commendatum velim; vt, cum alia naturæ portenta, tum ea maxime, ſub examen vocent, quæ augendæ in maius, ornandæque arti noſtræ ſalutari, idonea eſſe poterunt. Siccubi enim terrarum, in *Hungaria* profecto noſtra, cumulatisſimus theſaurus exiſtit, rerum, quæ ad *Hiſto-*

Historiæ Naturalis pomeria, cum laude, proroganda, pertinerent, si *Agricolas, Libauios, Gesneros, Rondeletios, Boëtios, Fabritios, Scheuchtzeros*, et his consimiles viros, iusta animi contentione, æmulari cuperemus. Sed ista ego vota alibi explicatius: nunc id eruditos patriæ nostræ, quam possum, vehementissime, rogito, vt Thermas reliquas, fontes acidos, et salutares, atque vniuersam, quæ in Hungaria gignitur, *Materiam Medicam*, obseruationibus suis, experimentis et lucubrationibus, expromant, detegant, illustreatque, inituri, apud orbem eruditum, gratiam, haud contemnendam. Tu iam L. B. vale, hanc nostram opellam, æqui bonique, consule; et nostris conaribus faue. Scribeb. Pisonii. M. DCCXXV. Kal. Septembr.

B*alnea*, cum *Medicis*, si quis componat, vtrinque
Pernicies hominum, provenit atque salus.
Corrumpunt *Baiæ*, corrumpit et ipse *Machaon*
Corpora; sed seruant, si sit vtrique modus.
At seruare motum, corruptaque reddere firmis;
Hoc est, hoc medicæ dexteritatis opus!
Ostendit nostras *HERRMANNVS* vtrumque: quid obsit
In calidis, & quid conferat vsus aquis?
Exemplum præbent, *Terentia Balnea*, quorum
Naturam, fructum, perniciemque dedit.
Pannonidum proles, lætare! nec vuida rumpent
Balnea, nec *Medicus*, corpora vestra magis.

In Memoriam Sui,
scribebat,
et quanti auctorem faceret,
palam testabatur,
amicorum nonnemo.

Mem-

Membrum I.

Hiſtorico-Chorographicum.

De Situ, origine et Fatis Thermarum Trentſinenſium.

Synopſis.

§. I

THERMAE TRENSTINENSES, ab vrbe cognomine, adpellationem ſortitæ ſunt. Si ita certum eſſet exploratumque, quam id ſermonibus noſtrorum perhibetur, *arcem Trenſtinenſem*, limitem olim Romani fuiſſe Imperii,

Thermarum Trenſtinenſium *denominatio:*

an a Terentio Romano?

Imperii, a TERENTIO *a*) quodam, aduerſus *Sarmatas*, conſtitutum, atque *Turrim Terentii* nuncupatam; antiqua forent, non vrbis modo primordia, ſed Thermarum etiam noſtrarum celebritas. Quia enim Thermis multum delectati *b*) Romani, in magno eas habebant pretio, non eſſet ambigendum, legionem, quæ hic excubabat, curæ habuiſſe, beneficium iſthoc naturæ, nullo ſuo labore, ſed ſola loci opportunitate, ſibi oblatum. Quomodocunque ſe res habeat, fas eſt, exiſtimare, innotuiſſe Thermas noſtras, ſimul montes iſti, ſiue *c*) a *Quadis*, ſiue a *Marcomannis*, huic oræ vicinis, habitari cœperunt. Atque tunc, nihil erat procliuius, quam vt Romanorum armis, partim domitæ, partim reiectæ longius gentes iſtæ, opportunitates ſuas, incultas licet, et ſitu fœdas, ſuccedentibus ſibi rerum Dominis, relinquerent, quas Romani circa ſtationes ſuas, etiam temporarias, egregie ſciuerunt in rem ſuam convertere.

notæ fortasſis fuerunt Quadis *et* Marcomannis,

§. II.

Hæc, coniecturæ ſunt, quas nobis ſuppeditauit vrbis *Trenſtinenſis* denominatio, ad illam canam ætatem relata.

a) Ita *Tyrnauienſes eruditi* Celebriorum Hungariæ vrbium et oppidorum P. II. *Trenſtinium antiqua legionum Romanorum ſtatio fuit, aut colonia, ſi vnciales literæ latinæ nunc temporis etiam in arce leguntur.*

b) Vide *Iuſtum Lipſium*, de magnitudine Romana. Lib. III, cap. VIII.

c) Confer omnino præter CHRISTOPHORI CELLARII ſummi viri, Notitiam Orb. Antiqu. P. I. Lib. II. c. V. p. 486. Illuſtr. FRIDERICI WILHELMI *de* SOMMERSBERG, Regnum Vannianum, Cap. IV. p. 24. ſq. vbi, hanc regionem, *Quadis* admenſam, leges.

lata. Tametsi vero haud multum nostra interest, fuisse, vel minus, istis locis aliquando Romanorum colonias, quia tamen habet iucunditatis nonnihil, antiquitatem istiusmodi vestigatio; non erat, hoc, quidquid est, coniectationis, silentio prætereundum. Postea, cum *Hungari*, rerum potirentur ex regionis vicissitudinibus, fata quoque Thermarum nostrarum perpendisse, nemo temere inficiabitur. Immo exScriptorum, qui res patriæ sunt prosecuti, silentio, colligi quodammodo potest, latuisse eas, prima illa Hungarorum ætate, saltem habitas negligentius, ad CAROLI I. tempora, quibus late hac regione dominabatur d) *Matthæus Trentsinensis*, opibus adeo valens, vt Regis imperia pertinaciter aspernatus, nihil dubitarit, belli, aduersus eum, fortunam experiri. Tunc enim in pretio esse cœpisse calidas Trensinenses, non ab re fortassis existimauerimus. Sed reuera, ignobiles mansere, donec *Comites de Zápolya*, arce, et ditione vniuersa potiri, iidemque elegantiæ, pro opum magnitudine, multum dediti, non arcem modo nouis ornarent operibus, sed circumpositam etiam regionem, atque in thermas, nouo cultu, redderent illustriorem. Istud est, quod WERNERVS e) memoriæ prodidit: *Sunt calidæ aliæ, non longe a castro Trentsinio quod ad eiusdem fluuii Vagi ripam est, supra Galgótzium. Illæ suauiter calent, et sunt limpidissimæ, et ideo iucundissimi secessus loco fuerunt Comitibus Scepusiensibus, qui paullo superiore ætate sedem ibi habuerunt.*

Sub Hungaris.

quomodo inclaruerint?

d) *Bonfin.* Dec. II. Lib. VIII. p. m. 317. Totus hinc Tractus, qui a Danubio, adverso Vago, vsque ad eius fontes, procurrit, *Mátyás Földe*, quas dicas: *terra*, siue *prouincia Matthæi*, vocitabatur, vid. *Tyrnauienses eruditos* loco nunc citato.

e) De admirandis Hungariæ aquis.

Erant autem Scepusienses Comites, *Zápolitani*, quos *Thurzones*, in opima illa hæreditate exceperunt; istos *Forgátschii*, atque *Jllyés-házii*, non minus diuites, et ad omnem magnificentiam compositi: vt mirum sit, opulentissimas familias, nihil solidi operis, quod accipiendis commode lauatoribus inseruiret, istic exædificasse.

§. III.

Hominum nostrorum, in curandis iisdem, negligentia,

a Iordano *reprehensa.*

Certe extraneus Scriptor, THOMAS JORDANVS *f)*, egregie de *Thermis Trentsinensibus* commentatus, reperisse sibi visus est, cur hominum nostrorum, erga isthæc naturæ beneficia, duritiem quereretur, cuius verba subinde nostra faciemus: *Quantum*, inquit, *emolumenti, calor iste actualis* (Thermarum) *præbet, tantum dispendii videtur consequi, ex incommodis habitationibus. Nam etsi sub tentoriis et papilionibus viuas, siue casas, tuguria aut tabernacula exstruas, ægre inclementiam aëris pluuii, aut ventis turbati, aliquando effugies.*

---

f) Inscribitur libellus: *Thomæ Jordani Clausoburgo, Publici Marchionatus Morauiæ Medici; De Aquis Medicatis Morauiæ, Commentariolus, cum indice copiosissimo. Francofurti. Apud hæredes Andreæ Vechelii* M. D. LXXXVI. Idem iste IORDANI commentariolus, *Bohemice* prodiit, *Olomacii*, Anno MDLXXX. in 4to. Erat autem *Iordanus*, natione *Saxo-Transiluanus Claudiopolitanus*, patriam, quod ipse, in dedicatione gloriatur, in Marcomannis nactus: *Hac*, inquit, *commemoratione* (laudum priscorum Marcomannorum) *mihi ipsi gratulatus sum, quod diuino natu atque auspiciis, tum etiam V. Mag. et Gen. D. D.* (adloquitur quatuor Morav. Status) *vocatione, bis felicibus terris consederim, quæ iam coniuge et liberis aucto, tranquillo domicilio præbito, patriæ vicem subierunt.*

effugies. Non semper serenat Jupiter. Tum, qui remotius a balneo tentoria fixerunt, inter eundem, et redeundum fieri nequit, quin aëri sese exponentes, vim aliquam cuti inferant, poris cutis apertis, et facile obuium aërem, qualiscunque is fuerit, excipientibus. Hoc etsi non videatur magni momenti, cum lauantes id facile laturi videantur, neque manifestum illinc quisquam senserit detrimentum: equidem, si quis potare voluerit aquas, non video, quomodo canones supra traditos hic obseruare possit. Hæc ille, ac paullo ante: *Supina,* inquit, *negligentia habitatorum culpanda, quod nihil in locum exornandum pensi faciant: de quo cum quererer, responsum accepi, vici pagi colonos, Pannoniæ Regum beneficio, ius thermarum et dominium possidere, qui præ egestate, et quod latrociniis locus esset infestus, nihil sumptuum in eas exædificandas conferre, aut possent, aut vellent: neminemque alieno solo, inuito possessore, aliquid sibi vsurpare debere, legibus cautum esse.* Scripsit ita IORDANVS, ante annos CXLV. bene thermis nostris ominatus: *Vt tempora,* inquit, *mutantur, et nos in illis, fieri potest, vt quos de patria bene merendi studium, aut alias leuis gloriola, stimulauerit, aliquid sumptuum et opis in exornandum locum conferant: vel Mahumetanorum exemplo ducti, qui balnea publica, et Carauasarias, sua inquam xenodochia, in vsum peregrinantium et viatorum splendide exædificant, vbi gratis pabulum pro iumentis præbetur, et aquæ limpidissimæ, etiam e locis quam longissime remotis, in vsum hominum et in mentorum, ingentibus sumptibus, tubis et canalibus deducuntur.* Lætaretur, credo, isto suo omine, si viueret bonus IORDANVS, audito, *Illustrissimum Comitem Iosephum Illyésházy,* curam hanc, optimo consilio, iam occupauisse, vt et lauacra instruantur emissariis, et ædes, accipiendis hospitibus, quam primum excitentur, commodæ, ac temporum ingenio et decori, responden-

Illustrissimis Comitis Illyésházy, laudabilis destinatio.

 tes.

tes, quæ quidem deſtinatio, *g)* vt feliciter, quam primum, ſuccedat, tam optamus auide, quam qui ſumus ſanitatis ægrotorum cupidisſimi.

§. IV.

Thermarum ſitus amœnus:

Diſſident TRENTSINO, thermæ noſtræ, vulgo *Tepliz* dictæ; (nam eo nomine, calidas, *Slaui* inſigniunt) *ſesqui milliari*, vltra vicum *Tepla* amœno ſitu, intra montes poſitæ, qui parte altera, ab arce *Trentſin*, altera a vico *Tepla*, lento primum faſtigio ſeſe adtollentes, in altiora iuga adſurgunt, atque ita obſident thermas, vt ex induſtria circumpoſitos crederes. Adeuntur ab occidente, quaſi per fauces quasdam; reliqua montibus incincta ſiluoſis, eaque re, adſpectu iucundis. Riuus ab oriente demiſſus, idemque adlapſus thermis, aquas earum accipit, ac per vallem, quæ in occidentem vergit, deiectus, *Vago* hauritur. Aëris temperies, iis in primis temporibus, quæ ſunt lauationibus deſtinata, hoc eſt, adulto vere, atque auctumno ineunte, ſaluberrima exiſtit. Fit hinc, vt lauantes, non aquarum modo ſingulari efficacitate, præclare adiuuentur, ſed aëris quoque ſalubritate, mirum in modum recreentur.

Aëris ſalubritas eximia.

§. V.

Iordani, *in eandem rem, verba.*

Concordat IORDANVS. *Nobile*, inquit, *Pannoniorum oppidum eſt Trentſinium, comitatu, arce munitisſima, ad Vagi, rapidisſimi et amplisſimi fluuii ripam, Saxo præcipiti impoſita, conſpicuum. Magno illinc milliari, aquæ callidæ, quas Morauicis, ob viciniam, adnumerare libuit, cum a noſtris hominibus frequententur, immo e Sileſiis, Boiemia, extrema denique Sarmatia,*

g) Dum hæc ſcribimus, nuntiatur nobis, diuerſiorum, egregio ſubſtructum opere, ferme conſummatum iam eſſe.

matiæ, cateruatim eo confluere ſolent ægroti. Aëris mira temperies, locus ſalubris, ſitus, intra Carpathos montes, amœnus, vallis non concluſa, ſed occidentem et ſeptentrionem verſus, patens, annonæ ſumma vilitas, piſcium, volucrium, omnium denique fructunm æſtiuorum, copia, illecebras eo profecturis non leues porrigeret, niſi prædonibus, et latrunculis (quod in contiguarum prouinciarum limitibus plerumque accidit) ſiluæ, qua hinc transeundum, obſitæ eſſent, qui viatorum bonis, ſæpe et vitæ, inſidias ſtruere ſolent. Quod Pannoniæ dicit oppidum *Trentſinum*, cum vulgo loquitur IORDANVS, eo, quod Pannonia tota trans Danubium ſita; *Marcomannorum*, contra, *Quadorum*, *Jazygum*, et *Dacorum* regio, cis flumen, ab occidente in orientem, proiecta fuit. Neque eſt, quam ob rem hodie latronum inſultus reueraris, cum ea ſit temporum, quæ regnante CAROLO VI. opt. Max. degimus, felicitas, vt non modo foris, tuta ſint omnia, ſed et domi cuncta refoueat pax et tranquillitas publica. Tantum eſt, ſub bono principe, viuere.

§. VI.

Illud multum loci derogat opportunitati, quod, ſicuti ſupra IORDANO præeunte, queſti ſumus, ædificiis, quæ ad tam efficaces aquas exſtare oporteret, laxis, capacibus, ſatisque commodis, careat. Nimirum, vnica tantum hic viſitur domus, e lapide ſubſtructa, binæ, e tignis, quomodocunque materiatæ. Et hæ, accipiendis eminentioris dignitatis hoſpitibus, deſtinatæ ſunt, quorum, ſi plures adſint, quod lauantium eſt reliquum, per caſas ruſticanas diſpertitum eſt. Ruſticorum porro ædes, humiles ſunt, et ex depreſſo loci ſitu, humidæ, adeoque lauantibus, quibus ſicca eſſe oportet conclauia, noxiæ. Hoc, quidquid eſt commodi-

Quid in Thermis noſtris maxime importunum?

moditatis, *floreno* in ſingulas hebdomadas, redimi conſueuit. *h*) Diuerſorium, elegantioribus iam cubiculis inſtructum, non tam lauantibus dicatum hucusque fuit, quam *vino*, et *cereuiſiæ* vendendæ, vbi ruſticum vulgus, ſi *Feſti dies* incidant, agendis choreis, et comeſſationibus, ex more, indulget. Annonam, habitantes circum agreſtes, affatim ſuggerunt, paruo venientem. Si quid, præter quotidianos vſus, menſæ requirant opimiores, ex vrbe id petitur, leui negotio. Vnde et *Medicum* arceſſere et *pharmaca* promere posſis, ex officina *Societ. IESV*, præclare inſtructa. Neque dulcium aquarum ſilendus fons eſt, qui ſaluberrimo latice, ad montis pedem ſcatet, culinæ, iuxta et potui, longe commodiſſimus. Lapidis ei quidpiam ineſſe, inde coniecimus, quod aqua recens hauſta, atque *Oleo Tartari, præcipitata*, colorem induerit albicantem. Sed nec riui præterlabentis aquæ, inſipidæ ſunt. Nam et trutas alunt, et ab his, quibus moleſtum eſt, ad fontem, aquatum concedere, antequam cum aqua thermarum commiſceantur, rei coquinariæ, non minus, quam potui, adhibentur. *Acidulæ*, ex vicino agro, huc adlatæ, paluſtris ſunt ſaporis, ingratosque cientes ructus.

Commoditates quænam?

§. VII.

Quomodo ſe eædem Iordanis tempore habuerint?

Neque fere aliter IORDANVS, loci opportunitates, quales ſuo tempore fuerunt, deſcripſit: *Ad thermas*, inquit, *vbi peruentum eſt, ædificia prope nulla, ea, quæ exſtant, trabibus, tignis, ligno inquam ſolo, concinnata, tecto ſolo ſuperpoſito, et ea ruinam minantur, ventis vbique peruia. Publicum tale diuer-*

h) Jam, quod celebriores incipiunt eſſe Thermæ noſtræ, non cubicula tantum; ſed annona etiam, cariore pretio, comparatur.

diuersorium, casa rustica adiecta, tum egenis locus dicatus, quo a cæli iniuriis aliquantisper immunes esse queant. Mensibus Maio, Junio, et sequentibus, quibus thermarum vires efficacissimæ habentur, maiorque hominum fit concursus, Proceres, Magnates, et equestris ordinis viri, tentoriis, spatiosissimo prato, fixis, vitam ducunt. Vulgus hominum virgultis, cratibus vimineis, et frondibus, (quarum materiam siluæ abundantissime suppeditant) tectis sese occulit. Exercitus castra illic esse diceres. Mendicorum, stipem flagitantium colluvies, hic visitur, qui tamen mensibus lauationi dicatis, solum vertere, et melioribus locum dare, coguntur. Annona, e vicinis pagis, quæritur, aut eo a rusticis comportatur, vel ex vrbe petitur. Fonticulus aquæ dulcis, suaui et gelida aqua, tam ciborum præparationi, quam potui refrigerando, subseruit, licet non procul abhinc riuulus præterfluat, eandem præstiturus vtilitatem, nisi eo aquæ thermarum corriuarentur. Hæc cum nostra, quam supra exhibuimus, descriptione, conueniunt, præterquam, quod hodie, commodius iam, et habitari heic possit, et lauari. Ceterum, mirandum haud est, incultas adeo sub id tempus fuisse Thermas nostras bellis Turcicis, optimas plerumque destinationes, interuertentibus. Neque enim eadem est Hungariæ, quæ regionum, remotarum a belli periculis, felicitas. Cum enim illic, si quid solidi excitetur operis, in posteros id, sine offensa duret, nouisque subinde augeri possit substructionibus; hic sæpius vidimus, eodem lustro, non ædes modo priuatas, sed castella etiam, omni cum apparatu, excitata, iuxta et deleta fuisse. Quin et eo Thermarum opportunitas, *Jordani* ætati præstat hodie, quod templum habeat, atque antistitem, sacra ritu *Romano-Catholico*, facientem: cum contra *Protestantes*, qui heic lauare solent, in vrbe *Trentsinensi*, sacris suis operari consueuerint.

eius rei caussæ.

§. VIII.

§. VIII.

Lauacra a Iordane recensita:

Lauacra, cum IORDANVS heic fuiſſet, pauciora extiterunt, quam hodie ſunt: *Loca*, ſcribit ille, *balneis deſtinata, ſunt duo: aluei ſat ampli vtrobique, et hi, vix decem paſſibus, a ſe diuiſi. Prima auctoritatis hominibus, prior eſt dicatus, alter plebi promiſcuæ, vtriusque ſexus, nullo habito delectu: cuiuis, etiam fœda ſcabie laboranti, patet ingreſſus quem egenorum balneum indigitant.* Eſt omnino, cur indignetur IORDANVS, ſanis, iuxta et fœda ſcabie infectis, promiſcua heic eſſe balnea. Quis enim balneum ſibi pollicebitur ſalubre? vbi abluta ægrotorum ſanies, paſſim thermarum aquis iactatur, atque corporibus adhæreſcit, ſubinde, multum ab hac contagione, abhorrentium. Sed quia conſuetudo iſthæc pridem inoleuit, fruſtra eam increpereris, niſi adſint, quorum auctoritatem reuereantur lauantes. Neſcio enim, quo malo errore ſibi perſuadeant multi, ſicuti communia hæc iſtiusmodi naturæ beneficia eſſe, ita, pro cuiusuis lubitu, vti iis omnibus, et cum aliorum offenſa, licere: reuera, ac ſi intemperiei, non vero ſaluti hominum, munifica illa parens, conſultum voluiſſet.

§. IX.

Quomodo ea tunc facta fuerint?

Pergit, in lauacrorum ſui temporis, opportunitate deſcribenda, IORDANVS. *Gradibus aliquot in lacum deſcenditur. Pauimento carent vterque Stratum nolunt, duplici de cauſſa; vel quia negant, aſſeribus, ſeu tabulis, ſi ſternentur, tam calidam erepturam eſſe aquam, impediente videlicet pauimento; tum, ſi quis calidiorem poſtulauerit aquam, ſummis pedum digitis, ſi arenulas ſcalpſerit, illico feruentes aquæ, bullas ſubſultare, et recta ſurſum ferri ſentiet, quod ſi ſæpius reiterauerit, longe calidorem comperiet aquam, quam ſi quietus et immotus, eodem*

loco

loco perstiterit. Sic ille; ego vero illorum temporum habitui, hoc, quidquid est, incuriæ, adscripserim, quo multo indigentiores, quam hodie sunt, istarum rerum fuisse, homines, certum est. Nolim tamen inficiari, multum calori aquarum posse accedere, si arenæ subtus natiuo feruore calefactæ, pauimenti sint loco. Hodie, longe alia lauacrorum est facies. Tria horum sunt. Primum *i) Dominorum* vulgo dicitur, quod præstantioribus viris, et fœminis, destinatum est. Huius ædes, e cæmento substructæ sunt; alueus contra, ligneis parietibus, atque pauimento, contabulatus, quin et cancellis incinctus, in longitudinem ad octo circiter orgyias, ad tres et mediam, in latitudinem porrigitur, vlnas duas profundus, ad eum tamen modum factus, vt, si obturetur aquarum defluxus, altius, et pro staturæ lauantis, portione, inundari possit. Parietes, scamnis, gemino ordine, circum sunt instructi. vt pro lubitu altius, depressiusue, considere queant lauantes. In primis, multum ad lauacri oportunitatem confert emissarius canalis, quo aquæ educi e balneo poterunt, quoties id e re lauantium esse creditur. Hoc vero; qui ex medicorum præscripto thermis nostris vtuntur, singulis diebus, bis faciunt, mane primum, tunc vero sole meridiano: aquis trium circiter horarum spatio, iterum, iterumque, ad pristinam mensuram redundantibus. Et hac quidem re, dici nequit, quantopere instaurentur calidarum vires, quippe, nouis subinde aquis, natiua *impregnatis* salubritate, succedentibus. Vt non perperam id, circa thermas nostras, desiderauerit olim IORDANVS. *E procerum*, inquit, *balneo, nihil quidquam profluit,*

quæ eorum hodie sit facies?

C

i) Hungaris: *Az Urak Hévize;* Germanis: Das Herren Bad. Slauis: *Panské Teplice.*

fluit, quia caret emissariis, seu canalibus, quibus obices aquarii reclusi, aquæ exitum concederent: Ita eadem semper perseuerat aqua, quæ, quin exhalet, tum etiam sordibus scateat, fieri nequit, nisi calonum aut lixarum opera, Procerum iussu (quod interdum, sed raro euenit) vrnis aut culeis funditus exhauriantur, et hac ratione aliquatenus expurgentur. Aetate celeberrimi CAROLI RAYGERI senioris, *Med. Doct. et Pract. Posoniensis felicissimi,* cultius extitit. Enimuero, affabre factis contabulationibus incinctum, atque scamnis instructum fuisse, *k*) scribit. *Primum, inquit, erat tectum, cum scamnis ligneis, affabre factum. In medio balnei erat scopulus quidam, paruus rotundus, non supra aquam eminens, vnde etiam germanice vocabatur:* Das Felsen-Bad. *Infra non erat tabulatum, sed balneantes deambulabant in arena.* Adhuc scopuli huius meminerunt accolæ. Pueris ille tenerioribus, solium præbebat, si quos in thermas parentes intulissent, iucundo omnino spectaculo. Vicini quoque lauacri meminit RAYGERVS. *Contiguum erat alterum eiusdem qualitatis et conditionis, tantum materia lignea distinctum.* Atque eo situ, ad nostram vsque ætatem, thermarum iste alueus, perdurauit, quem, ad eum, quo iam est, modum, et contabulari, et emissario instrui curauit, *Illustrissimus Comes a Salm,* cum partem ditionis Trentsinensis, aliquandiu tenuisset. Tunc quoque scopulus, quem diximus, disiectus, atque geminus alueus, in vnum, eumque ampliorem, coadunatus est, qui, quod ob commoditates recens factas, a primoribus frequentari cœpit, balnei *Dominorum* obtinuit adpellationem. Innuit hoc iterum RAYGERVS: *Nunc,* inquit, *mutata esse omnia audiui, postquam*

k) In MSCptis notis ad *Georgii Werberi,* de admirandis Hung. aquis.

poſtquam in manus Domini Comitis a Salm venit, qui illa duo balnea prima, coniunxiſſe, rupem abstuliſſe, totumque aſſeribus ſterni curaſſe fertur. Geminum porro hypocauſtum, lauacro coædificatum viſitur, vbi veſtes indui poſſint balneatoriæ, atque iterum poni: quod vtrumque, ſi aura ſit frigidior, calefieri ſolet.

§. X.

Hinc *Commune* eſt balneum, *l*) vno quidem tecto, atque iisdem ligneis clauſum parietibus, ſed bipartito diuiſum. Plebi id promiſcuæ patet, quapropter et aparatu eo, quo prius illud inſtructum haud eſt. Nam et emiſſariis caret, et pauimenti loco, arena vtrobique eſt. Aqua ſuperflua, per canalem exit, thermarum ſuperficiei reſpondentem. Vtriusque lauacri idem eſt ſpatium, orgyias circiter tres et mediam longum, ſed tres admodum latum. Iſtud eſſe crediderim, quod pauperum adpellat IORDANVS, ſed iniquius tunc habitum. *Pauperum,* inquit, *balneum, num ex induſtria, factum ſit, dubito.* Puta, ob ſitus, quo tunc erat ſqualorem, et male materiatorum parietum ruinam. *Balneum commune.*

§. XI.

Supereſt, *m*) vltimum lauacrum, medio loco, inter primorum illud, et plebeiorum, poſitum, ſed aquarum tamen calore, multum remiſſius vtroque. Ipſe alueus, ad eum modum factus eſt, qualem ad plebeias Thermas vidimus, niſi quod heic quoque, ſicuti in *Nobilium*-balneo, pauimentum aſſeribus paſſim perforatis, *Lauacrum vltimum.*

l) Hungari: *Közönséges Hévìz*, vel, *Paraſztok Hévìze*; Germani: Das gemeine, ſiue, Das Bauern-Bad: Slaui: Sedlácké Teplice, vocitant.

m) Plures vero ſunt ſcaturigines, quæ, ſi curarentur, noua præbere poſſent lauacra reliquis, nihil, credo, deteriora.

tis, contabulatum, atque alueus, circum, cancellis incinctus est. Aediculam quoque habet, adparatui balneatorio destinatam. Nullam lauacri huius mentionem facit IORDANVS, credo, quod nondum exstitit. RAYGERVS contra *balneum Comitis* adpellat. *Tertium*, inquit, *erat similiter tectum, infra tabulatum, scamnisque ligneis instructum, quod Comitis, seu Dominorum*, das Herren-Bad, *vulgo vocabant, sed longe remissius calebat, hinc parum ab incolis, aut aduenis æstimabatur, tantumque inseruiebat Domino terrestri, (qui tum erat* Illustrissimus Comes Georgius Illyesházy) *aut delicatoribus feminis ac personis.* Iam prærogatiua isthac caret, neque, nisi cum æstus intensior est, aut ab his frequentatur, qui ob teneriorem corporis habitum, lubenter lauant temperatius. Sunt, qui definitum balnei tempus, emensi, vltimo, isthic lauent, vt cutem eluant. Ceteroquin, plura multo lauacra constitui possent, si, aut vsus id posceret, aut essent, qui in eam rem sumtus vellent facere: certe, aquarum venæ, passim scatentes, haud desunt.

§. XII.

A quibus Thermæ nostræ in primis frequententur.

Ista, de *Thermarum Trentsinensium*, origine, fatis, situ, atque opportunitatibus, dicere habui, tractioni residuæ, aditum quodammodo præstructura. Nunc, silendum haud est, a quibus calidæ nostræ, in primis frequentari soleant. Certe enim multitudo salubrium aquarum, quibus luxuriat Hungaria, difficilem earum facit electionem, non his modo, qui iis, curandi corporis gratia, vti constituerunt, sed ipsis quoque Medicis, quorum est, de aquarum medicarum efficacia, iuxta et habitudine, ad hos aliosue morbos, seu leniendos, seu domandos, maturo consilio, dispicere. Proinde, Thermis nostris, præter circumpositæ regionis

incolas,

incolas, ſtatis temporibus, examinum ritu conuolantes, in primis vtebantur. *Poſonienſes*, qui olim, cum eſſent lautiora tempora, partim, vt ſe aduerſus familiares morbos præmunirent, partim, vt depellerent inueteratos, agminatim huc commigrabant. De his dicto loco RAYGERVS: *Celebres*, inquit *fuerunt hæ thermæ ſemper, pacificis regni temporibus, a noſtris* (Poſonienſibus) *multum frequentatæ, atque ſucceſſu optimo, in variis adfectibus, adhibitæ. Noui hic locorum feminam ſeniculam, quæ ſingulis annis, illuc ſe contulit, neque longinquitate viæ, (diſtat quippe Poſonio XIV. milliaribus;) neque difficultate itineris, ſe deterreri permiſit.* Hodie, quia anguſtior plerorumque res eſt domeſtica, earum vſui, illinc *Német Onárienſem*, hinc autem, *Szent Györgyenſem* fontem haud ſine fructu, multi ſubſtituunt. Maxime vero tota hac regione, nobilisſimi quique Viri, annuo, calidarum Trentſinenſium, vſu, delectantur; ſiue reuera medicationis, ſiue, quod plerumque fit, fallendi temporis, cauſſa. An vero, quod ſupra ex IORDANO monuimus, *Bohemis* atque *Polonis*, frequententur adhuc, nequeo adfirmare: ſaltem rarius id iam fieri, certum eſt: cum *Sileſii* quidem, *Hirſchbergenſibus*, *Carolinis*, Bohemi, intra regionis ſuæ fines, vti malint. *Moraui* certe, *n*) tamquam viciniores, in deliciis eas habent. Ambigendum vero haud eſt, ſi, quo decet, adparatu inſtruerentur thermæ noſtræ, et accipiendis aduenis, ædes excitarentur ſufficientes, atque commodæ, maiorem breui, quam, qua fuerunt hucusque, celebritatem conſecuturas fore. Sed cum accidat ſubinde, vt non poſtremæ dignitatis

n) Jam et Auſtrii, atque in his *Viennenſes*, vno alteroue ſalubritatis documento, illecti, huc commigrare occipiunt. Feliciter!

gnitatis viri, ad rusticas casas relegentur, fit, vt ita habiti semel, difficilius postea, neque, nisi coacti necessitati, redeant. Non video autem, cur ad procurationem istam, nequiret, sicuti apud exteros, quin et *Budenses* nostros, in more positum est, modicus aliquis census, pro lauacrorum, iuxta et lauantium, diuersitate, praescribi: ex cuius demum reditibus, nouae subinde excitari substractionibus, priscae autem sartae tectaeque possent conseruari. Equidem, probe cognitum habeo, quantopere has impensas fastidiat vulgus nostrum, quamque imprecetur his, qui vel mentionem istius modi destinationis iniiciant; neque tamen despero, fore, vt, si viderit, rite ista omnia collocari, atque thermarum vsum reddi augustiorem, penitus adsuescat, eoque postea aes istud balneare impendat lubentius, quo id nunc peruicacius auersatur. Quod enim ad conflandam, huic instituto, inuidiam, adfirmant aliqui, constituto olim balneatico, plebis imprecationibus, calidarum nostrarum venas, partim exaruisse, partim ignauas fuisse redditas, id quidem merito inter fabulas reponendum est, quas superstitiosum vulgus, optimis quibusque institutis, ne iis se reddat obstrictum, consueuit adspergere *o*).

Mem-

---

o) Simile quidpiam, de *Budensibus Thermis*, quae sunt ad pedem montis *S. Gebhardi*, narrat *Excellentissimus Laurentius Stocker* Thermographiae Budens. Cap. VIII. §. 8. p. 51.

Membrum II.
PHYSICVM.
De
Natura Thermarum Trentſchi-nenſium.

Synopſis.

Vtrum Thermarum noſtrarum indoles, quidpiam ex loci natura participet? §. I.

Calidarum limpiditas; an *color* earum *thalaſſinus* dici poſſit? lauacrum *Dominorum* quem referat colorem? vniuerſim, color thermarum noſtrarum inconſtans eſt, quod male aſtrorum influxui tribuitur: vera eius rei cauſſa: ratio caloris vnde repetenda? §. II.

Caloris temperamentum, blande ac mire: lauantium hinc luxuries, valetudini nociua: caloris, pro lacuum varietate, diuerſitas: cauſſæ eius rei, ex mente *Iordani*: ratio vera §. III.

Odor ſulphuroſus: concordat cum eo ſapor: vtriusque diuerſitas, pro tempeſtatis ratione, intenſior aut remiſſior. §. IV.

Experimentum puluere, quem calidæ deponunt factum. §. V.

Liquoribus probatoriis exploratæ aquæ, quomodo ſe geſſerint? §. VI.

Deſtillatæ per *alembicum*, ſulphur olebant: incoctæ ad vrnæ menſuram, quantum dederint *reſidui?* §. VII.

Reſiduum e balneo *Dominorum elixiuatum*, ſaltem luteolum, præbuit: huius examen. §. VIII.

Idem *reſiduum*, igne luculento deſtillatum, qualem dederit liquorem? *reſiduum* lauacri *Pauperum*, eadem via exploratum: balnei frigidoris itidem: liquorum inde acceptorum examen. §. IX.

Eorundem liquorum *caput mortuum*, ſal exhibuit, duum generum; horum examen: Nouum *reſidui* experimentum. § X.

Ex

Ex quibus rebus conſtent Thermæ noſtræ, IORDANI ſententia: refellitur ab Auctore. § XI.

Sulphur, et *Sal communis*, thermis noſtris inſunt: *Sulphuris* indicia. §. XI.

Sal communis Thermarum Trentſchinenſium: tria, in regno Minerali, acida: ſalium ex his geneſis. §. XIII.

Salis communis quantitas: eius indicia: carent thermæ noſtræ *alumine*, *nitro*, *marte*, *ſole*, *luna*. §. XIV.

Quomodo *ſal communis* et *amaricans*, cum *ſulphure* et *terra*, coniungi poſſit, diſputatur. § XV.

§. I.

Vtrum Thermarum noſtrarum indoles quidpiam ex loci natura participet?

IAm ad contemplandam aquarum noſtrarum indolem, veniamus. Et naturam quidem loci, quod in iſto examine primum eſſe oportet, ſcrutantibus, nihil occurrit, cum thermis noſtris commune, ex quo, de aquarum ingenio, poſſis iudicare: ſi montanam atque petroſam regionem excipias. Terra enim rubella, *bolum* quodammodo mentiens, quam paſſim notauimus, nec quidquam ad indolem calidarum noſtrarum confert. Atque inde, haud ab re coniecimus, profunda eſſe oportere ſcaturiginum capita, neque tam ex regionis natura, quam ex habitu meatuum ſubterraneorum, æſtimanda. Enim vero, non hic, ſicuti in thermis aliis, canalibus, in alueos deriuantur aquæ, ſed eodem loco, bullitu haud inamœno erumpunt, vbi alueos depreſſere conditores; quod, ſicuti lauantibus iucundum eſt, ita ad ſalubritatis, quæ aquis ineſt, laudem pertinet. Fieri namque aliter nequit, quam, vt multum efficacitatis amittant aquæ, per ductus longiores, deriuatæ, maneant contra ea ſalubriores, ſi eodem, quo ſcaturiunt, loco, ipſa quoque lauacra, conſtituantur.

§. II.

§. II.

Aquæ lauacrorum omnium, limpidæ ſunt, et translucentes. *Thalasſinas* vocat IORDANVS: *Balneum*, ait, *ingredienti, aquæ color viſus eſt cæruleus plane, illi perſimilis, quo mare, altum æquor nauigantibus, tinctum cernitur, qui aliis thalaſſinus a mari, etiam Venetus dicitur.* Bene eſt, quod talem fuiſſe viſam dicat, reuera enim, vitro pellucidiore et candido, quale cryſtallinum eſt, hauſtæ, nihil quod Thalasſino reſpondeat colori, referunt, ſed fontanæ cuiuis ſimiles ſunt. Interim, thermæ *Dominorum*, vbi in alueo increuerunt altius, colorem *ex luteo ſubuiridem*, præ ſe ferunt, qui poſtea, ſtagnantibus aliquantisper aquis, turbatur, planeque euaneſcit. Enimuero ea eſt calidarum *Trentſinenſium* natura, vt nequeant diu natiuum colorem tueri, quod vulgo aſtrorum influxui adſcribunt, atque ſtatis horis fieri perhibent, mane quidem hora decima, poſt meridiem vero, ſole ad occaſum inclinante. Sumſi id mihi negotii, vt curatius viciſſitudini huic attenderem; ſed ſtatas horas, quibus limpidæ, turbentur, obſeruare nequiui; quin immo, frequenti vſu didici, maturius immiſſas calidas, maturius etiam turbari cœpiſſe, tardius contra, ſi heſternæ aquæ, ſerius emiſſæ fuerunt. Cauſſa turbationis, tenuisſimum eſt puluis, quem ſolutum, ſcaturientes aquæ, egerunt, atque iterum in fundo deponunt: quodque arefactus, puluerem præbet minutiſſimum. Eſt is coloris *ex albo luteoli*, lubricus adhæc, vt pauimentum balnei ſubinde ſcopis neceſſum ſit perpurgari, niſi veſtigia fallere debeat. Ceterum, coloris, quem diximus, cauſſam veſtiganti, nulla occurrit veroſimilior, quam *refractio luminis.* Profecto enim, iis eum rebus, vnice adſcribere, quæ calidas noſtras

Calidarum limpiditas: an color earum thalasſinus dici poſſit?

lauacrum dominorum, quem referant colorem?

vniuerſim, color thermarum noſtrarum inconſtans eſt, quod male aſtrorum influxui tribuitur:

vera eius rei cauſſa:

ratio coloris vnde repetenda:

conſtituunt, ſicuti fecit IORDANVS, difficile eſt atque impeditum. Ita vero ille: *color* inquit, *ſuſpicionem de alumine cogitandi peperit, cum neque ab aluminis colore valde alienus eſſet, accedente ſumma claritate; licet non defuerint, qui inter examinandum antimonio, vel plumbo albo tribuerent.* Quam hæc vero ſint diſſimilia, infra monſtrabimus, vbi *ætiologiam,* noſtri, quod inſtituimus, examinis, ſumus exhibituri. Certe, ſi rebus, quæ thermas noſtras ingrediuntur, *color* aquarum adſcribendus eſt, ſicuti quadam tenus debet omnino, meliori eum iure, *Sulphuri*, quam ſiue *Alumini*, ſiue *Antimonio*, ſiue denique *Plumbo*, quorum hic nec vola, nec veſtigium exſtat, attribueris. *p)*

§. III.

Caloris temperamentum, blande ac mite:

Poſt *Colorem*, *Caloris* explicandæ ſunt rationes. Egregie IORDANVS: *Calor,* inquit, *aquæ blandus, mitis benignus, Viennenſium ſuperans calorem blandum ac mitem: non tam feruens, vt Carolinarum.* Hinc eximiam efficacitatis partem, in blando iſto calore ponere, nihil addubitat: *Efficaciora*, ait, *et cumulatiora hic omnia ſunt exſpectanda, ob blandum, mitem ac natiuum aquarum calorem, qui caloris noſtri natiui excitationi et penetrationi, multum confert auxilii.* Nihil omnino aquarum noſtrarum calore ſiue temperatius eſſe poteſt, ſiue ſuauius, ita placide lauantium membra adficit, vt, niſi ægro ſis corpore, quo plus laueris, eo magis lauandi cupiditate inardeſcas: id quod multos facere videas, quos non tam curandi corporis neceſſitas, quam lautitiæ, ad lauandum inuitant. Qui, quod neſciunt modum voluptati huic

lauantium hinc luxuries, valetudini nociua:

p) Si ergo cum *Scholaſticis*, loqui luberet, res, thermas noſtras ingredientes, *cauſſa* coloris eſſent *materialis*, *refractio* autem *luminis*, *formalis*.

huic ponere, subinde iacturam valetudinis faciunt. *Equestris ordinis iuuinis Moranus*, scribit IORDANVS, *sat lauta re, tum ibi lauabat, qui nouem horas continuas insederat; alter, ex comitatu suo, totam noctem illic exegerat, aquis immersus, etiam somnum capiebat, quem tamen, cum pranderemus vna, viribus adflictum, et cibum fastidientem, obseruauimus.* Adeo, et medicina, venenum esse potest, nisi ea recte vtaris. Neque tamen eadem omnibus promiscuæ lacubus caloris est temperies. Thermæ *Dominorum* mitissime calent, et cum quodam voluptatis sensu: intensius *plebeiorum*, quasi natura, compactis corporibus, fomenta admouere voluisset efficaciora, quod et IORDANVS obseruauit. *Pauperum*, inquit, *balneum, et calidius et efficacius esse, omnes vno ore prædicant, quod Numini attribuitur: non tamen caret caussa naturali.* Tertium, quod inter vtrumque positum est, remissioris est caloris hinc vulgo, das kühle Bad, *frigidum balneum*, vocitant. Gradus, diuersi huius caloris, non tam ex scaturiginum indole, quam alueorum habitudine, æstimat IORDANVS. Quia enim, *Procerum balneum*, carebat tunc emissario, pauperum contra, ob negligenter factum lacum, temere diffluebat; in eam iuit sententiam, dimanantibus aquis, nouarum successu, calorem simul et salubritatem, instauratam continuo fuisse, quod aliter se habuerit in stagnante Optimatum lauacro. Ita est, potuit ea ratione minui intendique calor aquarum; neque tamen ea sola caussa, diuersitatis illius, credi debet. Hodie enim, cum iam canales emissarios habeat, *Dominorum* lauacrum, *Plebeiorum* contra, sola aquarum superficie, defluat: istud nihilo secius, illo calidius est. Nempe, diuersæ scaturigines, mixtim ebullientes, diuersam caloris inducant temperiem. Atque id potissimum in *Thermis Primorum*, et balneo illo

Caloris, pr[...] *lacuum va[...] rietate di[...] uersitas*

caussæ eius rei, ex mente Iordanis

ratio vera

fri-

frigidiore, obſerues licet, vbi feruidioribus ſcaturiginibus, gelidæ ſunt; quod niſi eſſet, *Dominorum Thermi*, calore haud crederent plebeiis. Habent enim venas feruidiores, in quibus illæ eminent, quæ proxime ad ianuam maiorem, ſcatent, atque ſabulum, ſine ceſſatione, egerunt. Quin et illud obſeruauimus, temperatiores nunc, nunc iterum feruentiores eſſe ſolere.

§. IV.

Odor *ſulphuroſus*: Iam ad *Odorem*, quod attinet, *ſulphuroſus* is eſt, in ipſo vallis aditu, naribus aduentantium ſeſe ingerens. *Cum in thermas tenditur, aduerſo proficiſcentium vento, nares, pluribus ſtadiis, fœtor ſulphuris, excipit*, obſeruat IORDANVS. Atque hic quidem fœtor, non eſt tam calidarum vaporibus adſcribendus, quippe quos etiam lenis aura, facile disiicit, quam defluenti, per vallem, riuulo, qui thermarum aquas auehit, atque *ſulphuroſum* illum *odorem*, longius propagat. *concordat cum eo Sapor*: Cum *odore*, *ſaporis* coniunctæ ſunt rationes, nam et is *ſulphur*, haud obſcure, prodit, quod linguam, calidas guſtantium, ſenſu exquiſitiore adficit. Alioquin, aqua ſubinde libata, nihil, quod ſiue *ſalsuginem*, ſiue *acidulum* quiddam referret, notare potuimus. Interim non male IORDANVS: *Guſtata*, inquit, *aqua, tantum caloris præ ſe tulit, vt facile bibi poſſit, et præter ſulphur, quo plurimum abundat, nonnihil adſtrictionis linguæ præbebat.* Hactenus bene, quod vero, adſtringentem illam calidarum vim alumini adſcribat, infra, ſub examen vocabimus. *vtriusque diuerſitas*: Ceterum, *odoris*, iuxta et *ſaporis*, diuerſæ ſunt in ſingulis lauacris, rationes. Nam *Pauperum* illud, vehementius redolet, ſapitque; *clementius Primorum*; omnium autem leniſſime, quod eſt inter vtrumque, medium, quibusdam, *frigidiusculum*, dictum. Porro, *odor*,

odor, et *ſapor*, pro tempeſtatis ratione, intenſior nunc eſt, nunc remiſſior. Nimirum, ſudo vndique cælo, blanda ſunt omnia; quod, ſi nubibus inducatur, et ad tempeſtatem ſubitam inclinet, non *odor* modo, ſed et *vapor* exhalat craſſius. Ceterum, hauſtæ e lacu, aquæ, quo in vaſe adſeruantur diutius, eo, et redolent, et ſapiunt, ſegnius, quod diffugientibus halitibus ſulphuroſis, tribuendum eſſe, nemo non videt. *pro tempeſtatis ratione, intenſior, aut remiſſior.*

§. V.

Supra monuimus, calidas, bis, quotidie, ſuapte perturbari, atque puluerem deponere, ex albo luteolum. Dedi ergo, in primis operam, vt eius aliquid colligerem, experimentis ſeruiturum. Proinde, aſſere, qui emiſſario præfigi ſolet, ne aquæ diffluant, protracto, tantum ei pulueris huius detraxi, quod *quartam* ponderis communis *partem*, æquaret. Octiduo poſt, reuiſi aſſerem denuo, reperiique eiusdem pulueris *drachmas* circiter *duas*. Eſt is inſtar *lactis ſulphuris*. Certe, lychno admotus, haud ſecus flammam concepit, quam *ſulphur*. Duas, ex eo, vncias, cum cura *ſublimaui*, *quæ florum ſulphuris drachmas* ſeptem, cum dimidia, *capitis* autem *mortui*, *drachmam mediam*, poſt ſe reliquerunt. Idem *caput mortuum*, inſipidum erat prorſus, omnisque expers odoris, atque candens factum, parte *phlogiſta carboniformi* conſumpta, ex albo, fuſcum euaſit. Iſta pulueris illius natura fuit. *Experimentum, pulueri quod calidæ deponunt, factum.*

§. VI.

Calidarum indolem, non vna via indagauimus, quarum ſingulas indicare paullo explicatius, e re lectoris futurum exiſtimamus. Et ad liquores quidem, quos *Probatorios* Liquoribus probatoriis, *exploratæ aquæ, quomodo ſe geſſerint?*

rios vocant, quod attinet, varie illi aquas noſtras adfecerunt. Nempe, *Spiritu Nitri*, et *Vitrioli*, adfuſo, ne quidquam de pelluciditate ſua amiſit; *a ſolutione Vitrioli, Martis, et Veneris*, turbidiuſcula euaſit; quemadmodum et *a ſolutione lunæ in aqua forti*, colore tamen luteolo, aquis inducto, coque ſegnius ſubſidente. *Decocto Gallarum Turcicarum*, tincta, mutari renuit; a *Spiritu ſalis armoniaci vinoſo*, turbari occipiebat, lenis tamen, ei ſimillimum halabat, quem oua, gallinarum incubitu ſuffocata, adſolent. Sed nec *a ſolutione ſalis communis*, quidquam mutabatur: plusculum, a *ſolutione ſacchari Saturni*; tunc enim turbata, aliquantum, ſerum lactis referebat; quam viciſſitudinem, *oleum* quoque *tartari, per deliquium*, ei induxiſſe, obſeruauimus, cum *ſedimento* tamen albicante. Et iſta quidem circa *Thermas Procerum*, notauimus. *Plebeiorum*, conſimiles ſunt naturæ; præterquam quod, *ſolutione lunæ*, in *aqua forti*, turbari eas primum, mox fuſcas, denique et nigricantes, reddi aduertimus. Quorſum id quoque retuleris, quod adfuſo aceto, vehementius, quam de *Dominorum*, diximus, fœtuerit. Sed nec in tertio lauacro, diſcriminis quidquam notare potuimus, niſi *quod ſolutio vitrioli, Martis*, et *Veneris*, turbare viſa eſt aquas, verum remiſſius: *ſolutio lunæ in aqua forti*, eum ad modum ſe gerebat, quem in ruſtico balneo vidimus, niſi, quod hic in fuſcum turbata colorem, nequierit in nigricantem degenerare. Sicuti vero ab aceto adſperſo fœtebat languidius, ita ex *ſolutione Sacchari Saturni*, nimiopere lacteſcebat.

§. VII.

Deſtillatæ *per alembicum ſulphur olebant:*

Aquæ, e ſingulis lauacris hauſtæ, et per *alembicum deſtillatæ*, fœtorem ſulphuroſum ſecum vehebant, eædemque

folia

folia argenti recipulo iniecta, nigrefcente colore, inducebant. Ne vero, quod fit, experimentum fallax, mihi ipfi quidem ante omnia, ego vero aliis, etiam inuitus, imponerem, vrnam e lacubus fingulis, diuerfis temporibus, mane, a prandio, et vefperi, hauriri curauimus, quam demum menfuram, fummo ftudio, ac diligentia, ipfi incoximus. Atque tunc, ex aquis balnei *Procerum*, *refidui* albicantis *Vncias duas*, totidemque *Drachmas*; ex *Rufticorum*, *Drachmas* feptem; denique ex *Frigidoris* balnei aquis, *Vnciam* vnam, *Drachmas* tres, nactus fui: et quidem, ex duobus pofterioribus, coloris ex albo fufci. Pars *refidui* huius cum *fale tartari* liquefacta, ingeftis fimul carbonibus, nullum *Hepar fulphuris*, exhibuit.

incoctæ ad vrnæ menfuram, quantum dederint refidui?

§. VIII.

Refiduum, e balneo Dominorum, elixiuatum, falem luteolum præbuit.

Porro, eiusdem *Refidui* e balneo *Dominorum vncia* media, probe elixiuiata, falis luteoli, beneque ficci, grana XXIV; e balneo *Rufticorum*, grana XIV; lutei magis coloris; denique ex *Frigidiore*, grana XV. falis, ex luteo albi, faporis acris et amaricantis, præbuit. Quæ demum falia aquæ communi iniecta, nullo negotio foluebantur. Salis thermarum *Dominorum*, et *Frigidorum*, *folutio* manfit lutea; fed balnei *Plebeiorum*, in fufcum colorem degenerauit. Adfufo *aceto deftillato*, non efferuefcebant, *lunam* tamen, in *aqua forti*, folutam, præcipitarunt in *coroueam*. Eadem ifta *falia*, *Spiritu vini rectificatiffimo*, perfufa, alba euaferunt, *Spiritu vini*, luteum colorem attrahente. Qui tamen, nihil faporis fulphurofi, habuit. Igni iniecta, concrepuerunt, parte altera fubtiliffima liquefacta, altera autem, eaque potiori, manente *carboniformi*, quæ tamen igne admoto, iterum ex albo luteum colorem recuperavit. Denique, *oleo vitrioli*

huius examen.

oli rectificatissimo adsperfa, nebulam exhalant albicantem, quae adflatu fortiore, increscit.

§. IX.

Idem residuum, igne luculento destillatum, qualem dederit, liquorem?

His, summo studio, obseruatis, *vnciam residui*, quod thermae *Optimatum* dederant, vnam, per *retortam*, subdito igne vehementiori, destillaui, accepique liquoris, *drachmas* duas, sapore prorsus *empyreumatico*. *Drachmae* sex, *capitis mortui*, quae superant, coloris fuerunt albi, saporis autem *Salsiusculi*. *Residuum* porro e *Plebeiorum* balneo, mensurae *drachmarum duarum*, ad eum, quem diximus, modum, destillatum, liquoris consimilis, *drachmam* dimidiam exhibuit. Quod ab hac mensura mansit super, *drachmam* vnam et dimidiam, expleuit, *colore*, et *sapore*, prorsus retentis. Denique, *residui*, ex *Frigidiore* balneo, *Drachmae tres*, dedere liquoris *Drachmam vnicam*, *capitis mortui*, *drachmis* duabus, post se relictis; colore tamen candidiore, quin et sapore magis salso. Liquor balnei Optimatum, *solutione Lunae* in *aqua forti*, tinctus, retinuit aliquantisper limpiditatem, mox tamen factus turbidulus, *sedimentum*, lento casu, deposuit, leue admodum, et subfuscum. Contra, balnei *Plebeiorum* liquor, eidem *solutioni* adfusus, e vestigio, eam perturbauit, praecipitauitque *sedimentum gryseum*.

Residuum lauacri pauperum, eadem via, exploratum.

balnei frigidioris itidem:

liquorum, inde acceptorum examen.

§. X.

Liquorum eorundem, caput mortuum, sal exhibuit, duum generum:

Istius, quem diximus, liquoris, *caput mortuum elixiuiatum*, et in vapores actum, praebuit, ex thermis *Optimatum*, salis grana XV. ex *plebeiorum*, grana V. ex *frigidoribus*, grana VIII. Sal istud duum fuit generum; alterum, quod minutorum crystallorum instar, suapte, forma quadrangulari, increuit; alterum, quod euaporato liquore, coaluit. Eadem

dem ſalia, *oleo vitrioli* perfuſa, nebulas eructabant, illis ſimiles, quas ſupra diximus, *præcipitaruntque ſolutionem lunæ in Aqua forti*, in *ſedimentum* album. Denique, quod ex *reſiduo* thermarum nobiliorum ſupererat, *Oleo* id *Vitrioli* miſcui, eaque ratione, cum cura deſtillaui; quo quidem labore, partim *Spiritum ſalis*, partim etiam *Spiritum vitrioli*, indeptus ſum. Iidem liquores, cum, ſale *Tartari ſaturati*, in vapores acti, partim *ſal commune*, partim *tartarum vitriolatum*, ex connubio *ſpiritus ſalis*, et vitrioli, natum, cum *ſale Alcali*, exhibuerunt: quæ ſingula procliue fuit, inuicem diſtinguere; quippe cum *ſal* quidem *communis*, frigidæ immiſſus, ſolueretur, atque *Tartarum vitriolatum* poſt ſe relinqueret. *Caput mortuum*, ſoluendo, euaporando, cryſtalliſando, *ſal mirabile Glauberi*, ſiue *Catharticum* obtinui, idque iterum ex connubio *alcali ſalis communis*, cum *acido vitriolico*. Terra, quæ elixiuato *reſiduo*, ſupererat, *lenius calcinata*, partim in albos puluеres abiit, qui ſoluti aquam calcis dederunt; partim igne ſubacta fortiore, *vitrifacta* eſt. Idem, et circa arenulas, a copioſiore illa ſcaturigine, quæ in *primorum* balneo, proxime ad ianuam ſalit, egeſtas, obſeruauimus.

horum examen: nouum reſidui experimentum.

§. XI.

Ex his, quæ hucusque diximus, facile rerum gnari coniicient, quæ potiſſimum res thermas noſtras conſtituant. IORDANVS ſulphur et alumen, in præcipuis habet. *Aquas Trentſinenſes*, ait ille, *plurimis vaporibus ſulphureis, eisque ſubtiliſſimis præditas iudico, quibus non parum ſit etiam aluminis permixtum.* Quam quidem ſententiam, ſubinde inculcat, ideo fortaſſis culpandus, quod non tam experimentis chymicis nitatur, quam vulgi narratiunculis. *Præ-*

Ex quibus rebus conſteat thermæ noſtræ. Iordani ſententia:

ter sulpur, inquit, *quo plurimum abundat, nonnihil adstrictionis linguæ præbebat, quod confirmabat opinionem nostram, de alumine, conceptam, addita etiam communi lauantium sententia, et accolarum, a medicis præstantissimis procul dubio petita, qui sulphuri, alumen permixtum, referebant.* Nos profecto, in aquarum sapore, nihil, quod gustantis linguam adstringeret, notare potuimus; sed neque vllum notauimus *aluminis* vestigium. Verum, danda est venia homini peregrinatori, quod, siue noluit operosiorem diligentiam, in natura aquarum exploranda, ponere, siue etiam festinabundus, haud potuit: quippe, qualicunque examine, pro illa temporum indole, contentus. Interim, recte se habent, quæ de *Sulphure* copiosiore, monuit. Ceterum, nihil dicunt, qui, præter *Sulphur*, et commentitium illud IORDANI *Alumen*, *Martem*, *Vitriolum*, et *Nitrum*, thermis nostris inesse, credunt, immo asseuerant.

[R]efellitur ab [a]uctore.

§. XII.

[S]ulphur, et [S]al communis, thermis nostris, [i]nsunt: [S]ulphuris [i]ndicia:

Nos, præter *Sulphur*, *Salem communem*, in calidis Trentsinensibus in primis obseruauimus. Et *Sulphuris* quidem præsentiam, non vno deprehendimus experimento. Primo enim, *odor*, qui nares etiam inuitorum ferit, *Sulphur* aquarum prodit: quod et *sapor* facit; sed eo discrimine, quod supra indicauimus, nempe remissius balnei illius *temperati*; fortius *Dominorum*, denique *plebeiorum* omnium fortissime. Postea, huc et illud pertinet, quod §. V. de puluere, in fundo aluei subsidente, monuimus, quippe qui ipsissimum est *lac sulphuris*, quo haud secus, quam *communi Sulphure*, lychnos, flammis concipiendis idoneos, tingere possis. Accedit, quod vapores, quos incocta aqua halat, quin et thermæ ipsæ, *lunam*, primo quidem luteo, atque

inde

inde nigricante colore, inficiant. Hinc lauaturi mature prouident, ne vel supellectilem huiusmodi, vel argento distinctas vestes, ad balnea adferant, quia vsu didicerunt, infuscari id omne, et liuidum colorem, ex vaporum adflatu, induere. Neque aliud foetor ille arguit, qui adfuso aceto, oua redolet putrefacta, quam quod immixtum thermis nostris *Sulphur* copiosum, esse oporteat; tametsi in aquarum euaporatione, non æque obseruatum. Enimuero, aquis in aperto vase decoctis *sulphurosa* earum pars, in vapores abit, ac dissipatur, vix vestigio sulphuris, in *residuo*, manente, quod præter nos, Excell. quoque STOKERVS q) obseruauit. Eius verba hæc sunt: *Memoriam subit illud, quod WILLIAM SIMSON in discursu Philosophice de fermentatione p. 10. et 11. teste ETTMÜLLERO ex BROWNE adducit et ita sonat.* „Eruditus *Brovvne* in suis itineribus „ refert has obseruationes: sulphur, quod est in magna „ abundantia in pluribus thermis continuo efflat, nec in iis „ reperitur, si aquam thermarum euaporaueris: propterea, „ putabam magis rationale, extra aquam, quam intra aquas, „ inspicere: nam pluribus in locis, quæ erant super ther- „ mas, et qui recipiebant vapores thermarum, vidi sulphur „ adhærere; et pro satisfacienda curiositate, canalem, per „ quem thermalis aqua continuo fluebat, aperiri curaui, „ Budæ in Hungaria, et meis manibus, ex superiori canalis „ parte, extraxi substantiam, vix a floribus sulphuris distin „ guibilem, qua pluras capsulas replere potui. „ *Quem auctorem autoptica nunc instructus experientia, verissima scripsisse, testari possum.* Quodsi autem clauso vase destillentur aquæ, tunc sulphur lateribus *cucurbitæ* eatenus adhærescit,

 quo-

q) Thermograph. Budensis, Cap. X, p. 69.

quousque id calor propulsare potuit, IORDANO etiam monente. Atque hinc est, quod ex *odore* et *sapore*, calidarum ferri quidem iudicium quodam modo potest, de maiori minoriue Sulphuris, quod eis inest, copia; minime vero demonstrari, quantum eius vrna, a nobis, cum cura, decocta, secum vehebat: saltem nobis, id factu, eo loco, difficile admodum visum est. Institui nihilominus eius rei et istud tentamen: *Mercurium* nimirum, aquae thermarum immisi, qui nigrescebat quidem, *Sulphur* tamen omne, haud attraxit, quippe quum aquae supernatantes, sulphurosum adhuc odorem spirauerint. Proinde, si qui praestiterint imposterum, quod nobis haud licuit, non nostram modo, sed eorum omnium gratiam sunt inituri, qui *Spagyricas* istiusmodi obseruationes, in deliciis habent. *r*)

§. XIII.

Sal communis Thermarum Trentsinensium: tria, in regno minerali, acida:

Haec, quae diximus, *Sulphuris*, in aquis Trentsinensibus, praesentiam docent. Nunc de *Sale communi*, quem in iis deprehendimus, agendum est. Iuuat autem in limine praemonuisse, *tria*, in Regno Minerali, *Acida*, existere, *s*) quae alias *Spiritus* dicuntur a chymicis. Primum est acidum *primigenium*, *catholicum* seu *vniuersale vitrioli*, siue *Sulphuris*; alterum *Nitri*, denique tertium, *Salis communis*, quae duo, *primigenio* illi, atque *catholico*, originem suam debent.

Salium ex his genesis.

Quod si enim ex parte *sulphurea* seu *phlogista*, hoc est, inflamma-

r) Potuisset quidem *Lixiuium Alcali*, cum aqua thermarum incoqui, vbi *Alcali*, Sulphur, ex parte, detinuisset, ex quo iterum per *acidum* aliquod praecipitari solet, qua tamen diligentia, et tempus nos perlubebat, et occasio.

s) Vide iterum Excell. STOCKER, Thermogr. Budens. Cap. XIII. p. 84. sq.

flammabilis terra, putredinosa fermentatione, accedat, *primigenum acidum* illud, *acidum Nitri*, producit: *Acidum* autem *Salis communis*, tunc gignit, si terræ *Mercuriali*, siue *arsenicali*, ac si ita loqui lubeat, *Alcali volatili*, sese coniungit. Atque horum quidem, *primum* illud, grauissimum est fortissimumque *acidum*: *Secundum* leuius, ac volatilius: *Tertium*, omnium leuissimum, maximeque *volatile*: quemadmodum hoc eodem ordine, *primum*, duo *posteriora*, *secundum* vero, si vnum alteri adfundatur, tertium istud, expellat omnino. Porro, idem *acidum primigenium*, cum *Marte*, aut *Venere*, copulatum. *Vitriolum* generat; Terræ iunctum cretaceæ, *Alumen*; *Sulphur* contra, si terram inflammabilem copiosiorem; *Boracem* vero, si vitriformem terram, nactum fuerit; denique terræ *alcalinæ*, siue *alcali* coadunatum, *Sal Medium*, *Arcanum duplicatum*, *Tartarum vitriolatum*, et *Nitrum antimoniatum*, producit. Sed *Acidum Nitri*, quod secundi generis diximus, *terræ alcalinæ* s. *alcali* accedens, *Sal* efficit, quod vulgo *Nitrum* vocamus; quemadmodum *Acidum Salis*, cum iisdem coniunctum, *Sal commune*. Ita generata salia, (puta, vbi *alcalinæ* cuidam terræ, siue *alcali*, iungitur alterutrum ex dictis acidis) *Salia salsa*, vocare moris est.

§. XIV.

Atque *Sal* istiusmodi *salsum*, cum *Sulphure Communi*, thermis nostris inesse, ex dictis, nemo non videt. Certum, eius pondus adnotare eo procliuius fuit, quo fixior *Salis communis* natura est, quam *Sulphuris*. Dedit vero vrna calidarum, sicuti supra §. VII. monuimus, e balneo *Primorum*; *Drachmam* vnam, *scrupulos* duos, *grana* octo: e *Plebeiorum*; *Scrupulum* vnum, *grana* sex: denique e *Temperato*: *Salis communis quantitas:*

rato: scrupulum vnum, *grana* octo. Eundem istum *salem*, duplicem fuisse, itidem, supra notauimus, fluidum alterum, alterum calciformem, atque ex amaro salsum. Id vero inde euenit, quod acidum *Salis communis* terræ, partim *alcalinæ* salinæ, partim calcariæ, coniunctum, illic quidem in *Sal commune salsum*, hic vero in *Sal salsum amaricans*, abierit. Salis autem huius, quem diximus, plura iterum exstant documenta. Namque igni iniectus, crepitat, et crystallos quadrangulares, producit; *oleo vitrioli* perfusus, *Sal mirabile*, de quo §. X. iniecta mentio est, generat. *Lunam* in *corneam*, sicuti et *solutionem Saturni*, in *Saturnum corneum*, *præcipitat*, atque adfuso *oleo vitrioli*, in albicantes nebulas fatiscit. Huc et illud retuleris, quod cum *solutione vitrioli*, *Martis* et *Veneris*, turbetur, atque tunc *Acidum vitrioli*, terram salis communis *alcalinam* corripit, et liberato Salis acido, metallum deiicit. Porro, quod *Salis communis solutione*, ne tantillum quidem mutetur; quæ cum omnia, tum singula, *Salis communis* effectus sunt proprii. Quod vero ad *Salem amaricantem* attinet, sciunt chymiæ periti, tunc eum nasci, vbi *acidum Salis*, terram *calcariam* crassiorem permeat, atque resoluit. Ceterum, geminæ illius terræ, sali vtrique gignendo, idoneæ, *alcalinæ* puta, et *calcariæ*, quam in *residuo* thermarum, supra §. X. obseruauimus, Genesin, scrupulosius indagare, iam non vacat. Ex his, quæ diximus hactenus, nemo, nisi spagyricæ artis ignarus, non videt, frustra in thermis Trentsinensibus, siue *Alumen*, ad quod generandum, acidum non *Salis*, sed *Vitrioli* requiritur; siue *Nitrum*, aut *Vitriolum*, quod ex *acido Vitriolico*, *Martem* et *Venerem impraegnante*, prodit, atque *solutionem Gallarum turcicarum*, colore tingit nigricante; siue denique *Martem*, cuius nullum penitus vestigium in aquis nostris, et harum

eius indicia:

et harum *residuo*, notare potuimus, quæri ſolere. Neque eorum ſententiam capio, qui *Solem* et *Lunam*, Thermis noſtris ineſſe, opinantur: niſi fortaſſis de *Auri* et *Argenti* principiis, prout rebus omnibus ineſſe creduntur, id acceptum velint: certe *formaliter*, quod dicunt, nihil eorum deprehendimus, quippe de *formali*, rerum, thermas noſtras ingredientium, *ſtatu*, vnice ſolliciti. Proinde, *carent Thermæ noſtræ Alumine, Nitro, Marte, Sole et Luna. Sulphuris et Salis communis*, atque *amaricantis*, ex terra, partim *alcalina*, partim *calcaria*, nati, lapidis item *calcarii*, iſta laus eſt, quæ Thermis noſtris, intime permixta, vim eis, atque ſalubritatem mediam conciliant.

carent thermæ noſtræ alumine, nitro, marte, ſole et luna.

§. XV.

Ardua vero, et difficilis ad diiudicandum quæſtio, ſupereſt, quomodo *Sal commune*, et *amaricans*, cum *Sulphure*, et *Terra*, coniungi queat, cum palam ſit, *ſolutionem Salis communis*, cum *Sulphure communi*, neutiquam coadunari, aut ſolui poſſe. Ea propter, quæ noſtra, in re dubia, opinio ſit, prolixius paullo, promemus. Ita vero exiſtimamus. 1) In confeſſo eſt, *Pyritem, Martialem* in primis, qui aëri expoſitus, diſſilire conſueuit, *Sulphur* commune, ſibi coniunctum habere. Enimuero, parte, partis *ſulphureæ*, ſeu *phlogiſtæ*, ignis beneficio expulſa, aut ſponte diffugiente, *Vitriolum Martiale*, ſubnaſcitur: cuius *ſolutione*, in aqua facta, non ſolum *acidum vitriolicum* purum, ſed et *acidum ſalis*, deprehendi poteſt. Namque *ſolutione* illa euaporata, et *cryſtalliſata*, *Acidum* quidem *vitriolicum*, in *Martem* ſeſe inſinuans, in Vitriolum abit, *Magma* autem illud, quod *cryſtalliſari* renuit, examine accuratiore perueſtigatum, *Acidum ſalis* prodit, particulam quandam *Sulphuris* ſoluti, vna continentem.

Quomodo Sal communis *et* amaricans, *cum* ſulphure, *et* terra, *coniungi poſſit, diſputatur.*

tem. 2) *Alcali* ſoluit omnino *Sulphur*, quod demum in aqua *ſolu m*, partem *Sulphuris* exhalat, *Lunam* vero admotam, nigro colore inducit: pars enim *alcali*, in iſta huiusmodi operatione volatilis redditur: id quod iam docebimus. 3) *Acidum Salis communis*, continet terram *arſenicalem*, vel ſi ita loqui velis, *alcali volatile*, quod ſicuti notauimus, *volatile* redditum eſt. Igitur plane exiſtimamus, copioſius *alcali* huiusmodi *volatile*, Thermis noſtris ineſſe, cuius ope, *Sulphur* earum ſoluatur, detineaturque. Cum autem pars *ſulphurea* cum *Alcali volatili* pedetentim diffugiat, reſiduum *Sulphur*, vinculo *alcalino* amiſſo, ab aquis ſeparatur, eas turbat, atque ſubſidet. Neque enim aqua ſolui poteſt *Sulphur*, ſine *Alcali*, neque in deſtillatione ſolutum *tranſcendit*, niſi Ducem habeat, nimirum *Alcali volatile*. Huc pertinent Celeberrimi FRIEDERICI HOFFMANNI, Praeceptoris, aetatem Venerandi, Obſeruationes: *t*) *Paratur*, inquit, *ex Sulphure, cum ſale Ammoniaco, et calce viua, vehementi arenae igne, liquor, volatilis, vrinoſus, ſulphureus, fumans, aurei coloris, qui volatilitate ſua ſulphurea, argentum inuolutum corio, vel multis chartis, flauo colore inficit. Paratur quoque ex eo atramentum ſympatheticum, quod per totam chartarum libram operatur, et ſcripturam non apparentem, viſibilem reddit. Liquor hic additus Mercurio, ipſum coagulat, quatenus ipſe Sulphur arripit, cuius ramoſitate, et vnctuoſitate, in fluore ſuo ſiſtitur. Mirabilis huius Spiritus praeparatio, iam tum nota fuit, Baſilio Valentino. vide Currum eius triumphalem* p. 92. Atque iterum: *u*) *Si ſcoriae dictae (Antimonii) ex praeparatione*

t) In Adnotationibus et Additamentis ad *Petri Poterii* Opera Lib. II. cap. XI. de ſulphure p. m. 553.

u) Loco eodem cap. XII. De Antimonio, p. 562.

tione, misceantur cum Sale Ammoniaco, et ex retorta adornetur destillatio, tinctura Antimonii volatilis, quae x) aureo prodit colore conficitur. Egregie ista non illustrant modo, sed verosimilitudinem etiam conciliant opinioni nostrae, vinculum *Sulphuris*, cum *Sale communi*, et *Amaricanti*, *Alcali volatile* esse oportere. Accedit, quod et GLAVBERVS, *Salem* illum suum *Ammoniacum secretum*, qui ex *acido Vitrioli*, cum *Spiritu vrinae* conficitur, atque ex reliquis etiam acidis, *Nitri* puta, et *Salis*, perinde confici potest, ad soluendum et destillandum omnis generis *Sulphur*, vehementer commendet. Vrina enim, salem vehit communem et partes *oleosas* e sanguine secretas; in *Spiritu* autem vrinae, *alcali* inest *volatile*, a pingui sulphurea parte productum. Hinc fit, vt *acidum vitrioli*, tanquam fortius, *Alcali volatilisatum*, arripiat, atque instituta *sublimatione*, vna cum eo *transcendat*. Quin et illud considerandum est, impensius, quod ad praeparandum *Salem Ammoniacum*, *fuligo*, id est, *phlogista* ligni pars, *vrina*, et *Sal communis*, requiratur, adeoque, pars *Salis communis* maxima, a pingui sulphurea parte vrinae, iuxta et fuliginis *volatilis* facta, sublimia petat: quippe, cum certum sit, *Alcalia volatilia* fieri, non alia re, quam istis, quae diximus, *inflammabilibus*. Deinde, si aestimauerimus ex quibus rebus, *Sulphur*, arte fieri soleat, in sententia nostra, haud vulgariter confirmabimur. Nempe, fit illud, ex *Acido Vitrioli*, et *Oleoso, pingui*, *inflammabili*, seu *phlogisto*, siue quomodo id cunque adpellare volueris, *principio*; ex hoc enim *acido*, et *oleo* aliquo *destillato*, enascitur *Sulphur*: item, ex *acido Vitrioli*, cum sale *Alcali*, coniuncto, vt liquescere possit; et pinguedine,

x) Eandem cap. VIII. p. 537. rubicandam prodire adserit.

guediue, ex regno quocunque *vegetabili*, *animali*, aut *minerali*, deprompta: Cum itaque *pinguedo vrinæ* ac *fuliginis*, ex animali et vegetabili regno, in præparatione *Salis armoniaci*, *alcali ſalis communis*, *volatile* reddat, minime abiudicari poteſt, eidem pinguedini, ſeu *inflammabili* terræ, quæ copioſiſſima *Sulphuri* ineſt, idem effectus *volatiliſationis alcali Salis communis*, quod Sulphur, cum aqua coniungit, atque donec exhalet, ſolutum limpidumque detinere poteſt. Hæc noſtra, de *vinculo Sulphuris*, et *Salis communis*, atque *amaricantis*, quæ in Thermis Trentſinenſibus deprehendimus, ſententia eſt. Qui certiora his dixerit, exploratioraque, multum nos ſibi reddet deuinctos. Nunc, *caloris* aquarum noſtarum, rationes, explicandæ forent; Sed quia contemplationem iſthanc aliorſum y) reiicimus: illud dixiſſe ſufficiat; *frigidores* noſtras, intenſius calere, quam *Vienenſes*; feruentiores autem mitius, quam *Carolinas*: quod et IORDANVS aduertit: *Carolinis*, inquit, *in Bohemia, moderatiores ſunt, et Viennenſibus, efficaciores*. Hactenus, de Thermarum Trenſinenſium natura.

Mem-

y) Puta, ad Lib. c. V. Hungariæ Nouæ Cl. MATTHIAE BELII, adfinis mei, cuius operi, pro virili noſtra, iuuando, has iſtiusmodi curas, deſtinatas eſſe volumus.

Membrum III.

MEDICVM.

De Thermarum Trentſinenſium efficaci ſalubritate.

Synopſis.

IN Thermarum ſalubritate explicanda, quomodo verſari ſtatuerit auctor? *Iordani* de ea exiſtimatio: inuidorum calumnia, notatur, et refellitur. § I.

Efficacitas calidarum noſtrarum, *Sulphuri*, *Sali*, et *Terræ calcariæ*, a priori deſcribenda. §. II.

Concordant obſeruationes a poſteriori factæ: *Iordano*, *Raygero* et *Mollero*, teſtibus. §. III.

Neque refragatur experientia quotidiana: quibus morbis medeatur? §. IV.

Morbi, quibus leuamen ſpondent, reliqui. §. V.

Phthyſicis, et *Hydropicis* ſunt funeſtæ. §. VI.

Lauationis tempora, *vernum*, et *auctumnale*: thermarum efficacitas, pro annorum temperatura, variat: ea de re coniectationes. §. VII.

Quomodo lauaturi ſe parare debeant? curationis ratio, quæ? animaduerſio in eos, qui illam ſusque deque habent. §. VIII.

Eroſio cutis, quomodo habenda: diætæ ratio, vniuerſim ſpectata. § IX.

Specialiora monita, a perito Medico, poſcenda: exacta lauationis tempore, quid facto opus? §. X.

Efficacitatis Thermarum noſtrarum, documenta varia: optatur ſtilicidium et vaporarium. §. XI.

Epilogus. §. XII.

§. I

In Thermarum salubritate explicanda, quomodo versari statuerit auctor?

SVpereſt, vt de *Salubritate* Thermarum Trentſinenſium, dicamus aliquid, et quibus potiſſimum morbis, ſeu leuamen ſpondeant, ſeu medelam conſummatam. Qua in re, ita verſabimur, vt ad ea, quæ iam de natura calidarum noſtrarum diximus, ſubinde reſpiciamus; longe ab eorum conſuetudine alieniſſimi, qui non tam ſuo ipſorum vſu et experientia, quam vulgi ſermonibus ducti, agyrtarum ritu, multa ſubinde, atque aliena a fide, de calidis, quas ægri ſui adamarunt, prædicant. Liberaliter de noſtris IORDANVS: *Plus*, inquit, *commodi hinc, quam a Viennenſibus expectandum, quia calidiores erumpunt, licet Viros doctiſſimos Trentſinenſium vſum disſuaſiſſe meminerim, ſolo rumore vano, aut fama ſiniſtra motos, quod pauci lauantium, febres effugiant.* Calumniam eſſe, partim ab inſcitia, partim a malevolentia, eius ætatis Medicorum, profectam, nullum eſt dubium. Moris enim eſt multis, in primis vbi lucelli diſcrimen metuitur, vt vicinorum bona, malis adnumerent, ſaltem extenuent, vt, adſperſo vituperio, ſuis, quibus immodice ſuperbiunt, celebritatem concilient, atque ægros ſibi obnoxios, in lucroſo obſequio, detineant. Nobis profecto, nihil iſtiusmodi hucusque innotuit. *Ingenue* IORDANVS: *Hoc, vt mihi neque compertum, ita, vel aliter ſe rem habere, neque adſeruerim, neque negauerim.* Poſtea culpam, ſi quæ eſt, non in calidas, ſed in lauantium, vitia coniicit. *At quid mirum*, inquit, *cum lauantes, ob incuriam, vel adfectatam negligentiam, nullo vſi conſilio, nullo præmiſſo examine, an ſuo morbo aquæ competant, nec ne? laxatis deinceps omnibus diætæ repagulis, ſpretis, quod maius eſt, Medicorum regulis, temerario in eas ſe confecerant?* Ita eſt, lauantium hæc vitia ſunt,

Iordano de ea exiſtimatio:

Inuidorum calumnia, notatur, et refellitur.

ſunt, vt aquarum ſalubritatem, vel interuertant, vel certe in ſeipſos arment: quale exemplum ſupra, ex IORDANO, recitauimus.

§. II.

Tenendum vero ante omnia eſt, efficacitatem calidarum Trentſinenſium, quanta quanta eſt, a *Sulphure*, copioſiore illo quidem, et *Sale*, qui paucior eſt, atque *Terra calcaria*, deriuandum eſſe. Nemo autem neſcit, *Sulphuri*, conſtanter attribui ſolere, *balſamicam, neruis amicam, calefacientem, exſiccantem, roborantem, purificantem, anodynamque* virtutem. Proinde, mirum haud eſt, ſi vniuerſalem hunc effectum, tam ſolidis, quam fluidis, corporis partibus, communicent thermæ noſtræ. Solidis certe, iuxta et viſceribus, robur atque tonum, egregie reſtituunt, et dum *ſulphurea volatilis* pars, halitus forma, poros ſubintrat, calore thermarum commota, *ſulphuream* ſanguinis partem, eiusque circulum, audaugent; *ſeroſam*, calefaciendo, ſubigunt, exſiccant, attenuant, reſoluunt, atque ad hunc modum liberum expeditumque eius circulum efficiunt: qui dum ſolidas partes ſubit ac tranſit, hærentia iſtic *recrementa*, eluit, et diſcutit, atque ſæpius ad loca *ſe* et *excretoria* adpulſus, eadem deponit, depuraturque. Iſta, de efficacitate thermarum noſtrarum, *argumento a priori*, hoc eſt, ab iis rebus, quæ calidas ingrediuntur, ſumto, dixiſſe ſufficiat.

Efficacitas calidarum noſtrarum, Sulphuri, Sali, *et* Terræ calcariæ *adſcribenda.*

§. III.

Neque aliud Veterum, iuxta et recentium. Obſeruationes *a poſteriori* deprompt æ condocent: IORDANVS, cum *calculoſis* medelam ſpopondit, *his*, inquit, *certum eſt, profuturas, præſertim ſi renes, et vrinarii meatus, ſabulo, aut*

Concordant obſeruationes a poſteriori factæ, IORDANO:

pituita referti fuerint: quia, præterquam calor, quod mulcet dolorem, etiam vias ampliores reddit, vreteribus et renibus mollificatis, vt ampliores reddantur meatus, et calculo iter facilius ad excernendum pateat. Pergit IORDANVS: *Non minus etiam Podagricis non deploratis, proderunt, si custodierint regulas, supra traditas, quia Sulphur absumet excrementa, et alumen corroborabit membra, ne alia suscipiant; paralysin soluent, si guttatim origini spinalis medullæ, sub occipite instilletur, vt per totam spinam defluat.* En! *Sulphuris* virtutem! Nam quod *alumen* in subsidium vocat, id vero, familiari sibi errore, implicitus, facit, atramentum in niue quærens. Postea, quomodo contractis medeantur recenset. *Contractis*, inquit, *etiam ob motum conferent: Nam præterquam quod calore, a sulphure, digirentur materiæ, beneficio aluminis, nerui etiam exsiccabuntur et firmabuutur.* Iterum sulphuris et lapidis calcarii vim et efficaciam, alumini adscribit: ceteroquin Demonstrationi nostræ, præclare velificatus. Atque ne RAYGERVS quidem aliter: *Imprimis*, obseruat ille, *conferunt membris debilitatis, aut contractis, item medentur arenæ et calculo, prosunt in adfectibus mulierum, et præcipue in fluore albo, qui communiter nostras solet vexare fœminas.* Ita et IORDANVS: *Vteri adfectibus frigidis conducent, albis profluuiis, etiam suffocationi matricis, sed non tempore paroxysmi.* Certe, amicissimus nobis CAROLVS OTTO MOLLERVS, Medicorum, nostra ætate, apud Hungaros, Excellentissimus, eandem nobiscum sententiam init, dum calidas easdem in fluore albo, atque *excretionibus subcutaneis*, maxime commendat. Peculiarem præterea obseruationem nobiscum communicauit, quod apud hos, qui ad *fluxum hæmorrhoidalem* sunt dispositi, eundem cieant; minimum, tendentia illuc molimina, mitigent, et deiectiones eo pertinentes, sine exstanti rosione viscerum, oportune prouocent.

REYGERO:

et MOLLERO, testibus.

§. IV.

§. IV.

Egregie cum his, quæ attulimus, quotidiana Medentium, non minus, quam ægrotorum, experientia, concordat. Enimuero, innumeris constat documentis, præclare calidas nostras iuuisse *Rheumaticos* et *Arthridicos*; tam vagis, quam fixis *Spasticis* motibus, male excruciatos: Nempe, *Rheumatici* adfectus, initio musculosas corporis partes occupantes, Germanis *Gallflus* dicti, facile in *Arthriticos*, iuncturas vexantes, degenerant, vel complicantur cum illis; vt adeo, cum iis medentur, hos, ne inualescant, prohibent omnino. In *Arthritide vaga, Chiragra, Gonagra, Podogra*, nec dum consummatis, *Coxendicum dolore, Malo Ischiadico, Nephritide*, opem ferunt egregiam, sed paroxysmo superato, saltem mitescente. Solantur præterea, *Hypochondriacos* et *Hystericas*, mensium item, aut *hæmorrhoidum* vitiis laborantes. Subleuant *cachecticos*, *œdematosos*, *infarctu lienis et hepatis adfectos*, *Vlcerosos*, *fistulosos*, *Calculosos*, *obesos herniosos*, *scabiosos*, et omnes *excretioni* cuidam *subcutaneæ*, obstipationibus viscerum, et glandularum abdominis, obnoxios. Auxilio sunt *sterilibus*, si vitium, non a partium conformatione, sed inductis aliunde adfectibus, oriatur. Medentur *fluori albo*, et *Gonorrhææ*, benignis, de quo IORDANVM, et RAYGERVM, audiuimus. Atque horum quidem morborum alios, si ex Medici præscripto, cum cura fuerint adhibitæ, prorsus edomant, tolluntque; alios leniunt, neque non ita mitigant, vt rarius recurrant, saltem non æque adficiant ægros.

Neque refragatur experientia quotidiana:

quibus morbis medeantur.

§. V.

His præterea, qui *Apoplexia* tacti aliquando fuerunt, adeoque, partis adfectæ *Paralysi* ac debilitate quadam, laborant,

Morbi, quibus leuamen spondent, reliqui,

borant, præcipue, ſi viuidiori adhuc, et medicationum capace ſint natura, opem ferunt ſingularem. A *Contractis, Trementibus, vlceroſis, fiſtuloſis, ædematoſis, Cachecticis, Calculoſis, obeſis, Hernioſis, Scabioſis*, et impuritate corporis alia *fædis. Fluore* item *albo* et *Gonorrhæa* benignis, *Colica inueterata* adfectis, etiam extra ſolita lauationis tempora, hoc eſt, æſtate, atque hyeme, *curatiue*, bona cum fruge adhibentur. Quin et *arthridicis* inflammatione et doloribus miteſcentibus, *curatiue* ſuadentur; tumorem enim, qui ex debilitate partis adflictæ natus fuit, penitus depellunt, *tonumque* roborant. Sed dolore, et inflammatione adhuc præſentibus, nemo iis temere vſus fuerit, niſi valetudini ſuæ proterue infenſus. Tametſi enim robuſtioribus, et qui ſunt ſenſu obtuſiore, non raro, et in ipſo *paroxiſmo*, non modo nihil incommodi intuliſſe, ſed profuiſſe etiam, obſeruatum ſit; iis tamen, qui habitum corporis nacti ſunt delicatiorem, atque inde ſenſus ſunt exquiſitioris, malignitate, ab extremis ad interiora intempeſtiuius repulſa, noxiæ exſtiterunt. Enimuero, funeſtos ſæpe euentus, retropulſa *podogra*, dare conſueuit, quin mortem ipſam accelerare. z) Quibus igitur valetudinis, imo vitæ potior eſt ratio, quam dolorum, breui tranſiturorum, vehementer ſibi cauebunt, ne ſe euentui dubio, ac plerumque in mortem lentam deſinente, temere permittant.

§. VI.

z) Similis, ex iſtiusmodi thermarum noſtrarum vſu, exſpectari poteſt effectus, qualem ex decantato illo *Empyricorum Spiritu Antipodagrico*, qui ex *Sulphure, Sale ammoniaco* et *Calce viua*, paratur, prudentiores obſeruarunt. Illinitus nempe, dolores quidem tollit, ſed podogram ſtupidam, inflammationes viſcerum nobiliorum, colicam et peſſima quæque, ſæpius ægris inducit.

§. VI.

In iſtis, quos ediſſeruimus, morbis, haud ſpe ſua fruſtrabuntur ægri, ſi curam adhibuerint, temperamenti, et morbi naturæ, conuenientem. *Phtyſicis* vero, et *Hydropicis*, non profuiſſe, longiore eorum experientia *aa*) animaduerſum eſt, qui ſiue ipſi vſi ſunt thermis noſtris, ſiue aliis, vſum earum præſcripſerunt. De *Hydropico*, IORDANVS adnotauit. *Senem*, inquit, *aqua intercute laborantem, in gradu, quo in lacum deſcenditur, proſtratum, vidi, ſolo capite exerto reliquo corpore, aquis immerſum: qui a me quæſitus, num quid emolumenti acciperet ex aquæ vſu, mirum in modum* eas *collaudauit. Vereor tamen, vt fuerit ſuperſtes, cum exceſſiſſe mihi videretur annum ſexageſimum, et biduum ſolum illis lauabat, quo nunquam egreſſus dicebatur.* Credo equidem, ſenſiſſe aliquod morbi lenimentum, donec aquis inerat, natiuo earum feruore concalefactus; ſed an conſtans iſta fuerit efficacitas, eſt cur ambigas; eo quod *Sulphur*, tumorem quidem propellat, ſed ad interiora abdominis; vt habeat omnino hic locum dicterium vulgi: *Wenn ein Waſſerſüchtiger ins Bad gehet, ſo nehme er nur den Sarg mit ſich.*

Phtyſicis Hydropic[is] *ſunt fung[...]*

§. VII.

Ceterum, lauandi tempus, idem hic eſſe conſueuit, quod alias, Thermas frequentantibus, definitur. *Vernum* Menſe *Maio* init, atque in adultum vſque *Iunium*, protrahitur. Sed *auctumnale*, cum exeunte *Auguſto* cœpiſſet, ad

Lauation[...] tempora, vernum et auctumnal[...]

 finem

aa) Monuit Dominus GLVDOWACS *Apothecarius Collegii Soc. Ieſ. Trencſinenſis*, vſu viginti pluriumque annorum edoctus.

finem *Octobris* produci ſolet. Plurimi lauantium, *ver* deligunt, *auctumnum* pauciores, quod illic vireſcant omnia, et naturam, hyemis rigore quaſi effœtam, blandiſſime refouent; hic vero, triſtem iterum brumam minentur ſingula. Vtrique tempori, ſua laus eſt, at potior tamen verno. Qui extra hæc tempora, lauatum huc concedunt, plerumque neceſſitate coacti id faciunt. Sunt, qui exiſtiment, non eandem Thermis noſtris, annis ſingulis efficacitatem eſſe, verum, pro diuerſa anni temperie, diuerſas, ſaltem non æquales, ad medendum vires, indipiſci. Nihil reluctamur opinioni; nam et IORDANVS, incolarum hanc querelam, adnotauit. *Quibus*, inquit, *thermarum vires ante exploratæ fuerant, ignauiam earum, hoc anno, culpabant; quod licet in occultam aliquam vim et influentiam referrent, mihi mirum non fuit, quod totus hic (MDLXXIX) ἀνόμαλος, inæqualis, inquam, nuspiam ſibi conſtans fuerit. Vnde minime mirum, tot imbribus Auſtrinis, etiam aquas eſſe corruptas, cum omnia, terra naſcentia, cæli inclementiam, perſenſerint.* etc. Si verum eſt, easdem, ſaltem conſimiles, in intimis terræ viſceribus ſubſequi viciſſitudines, quæ in aprico accidunt, non erit amplius de aquarum variante efficacia, dubitandum. Quia enim tota hæc Vniuerſitas rerum, cauſis, quas naturales vocamus, varie concurrentibus, vel effœtior in annos ſingulos redditur, vel fœcundior; pronum erit coniicere, eandem hanc temperaturam, et terræ adytis, communicari. Hoc vero ſi eſt, nihil erit facilius, quam vt ſubterranei ductus illi, qui calidis noſtris meatus præbent, plus minusue aquis communicent, de iis quæ aquis natiuam illam, atque medicam ingenerant efficaciam. Idem circa fontes ſalubres obſeruatum ab aliis meminimus. De *Altenburgenſi*, apud *Auſtriacos*; certum eſt atque exploratum, in annos ſingulos, aquarum

[T]hermarum [e]fficacitas, [p]ro annorum tempe[r]atura, variat.

[D]e ea de re, coniectationes.

aquarum virtutem notabiliter variare. Cuius rei caussas proprias, neque longe petitas, si indagauerint rerum harum curiosi, non exiguum operæ pretium fecerint.

§. VIII.

Sed eo redeundum est, vnde digressi sumus. Qui Thermis nostris, rite vti volet, ita, sicuti oportet, præparatus accedat. Nimirum, *vniuersalia*, quæ dicunt, præmitti necesse est. Sunt hæc, *euacuationes*, quæ, quod satis est, e corpore euehant, neque naturam, vti accidit subinde nimium debilitent: porro, *Venæ sectiones*, pro diuersitate habitus corporis *phletorici*, et consuetudine, iam ante adscita. Talia, qui negligunt, non modo nihil ex thermarum vsu, capiunt vtilitatis; sed multis etiam malis semet ipsos implicant. Huc referas: *pectoris oppressiones*, *angustias præcordiorum*, *hypothymias*, *Cephalalgias*, *vertigines*, atque alias *congestorias restrictiones sanguinis*, quin et *febres*, quas thermarum vitio lauantibus induci, IORDANO teste, maleuoli criminantur. Sed quid facias hominibus, alias, sine Medici præscripto, viuere adsuetis? Vbi vero, quæ diximus, debite præmissa sunt, habenda iterum, temperamenti cuiusque, et infirmitatum, ratio est: feruentiori ne illo, an remissiori balneo, vti conducat magis? De his, vbi, quod e re visum est, statuit lauaturus, ipsum lauationis ordinem, rite definiet. Curatio vniuersa, nisi desultorium sit balneum, tribus circiter hebdomadibus, absoluetur; pluribus, si malum inueteratum edomandum fuerit. Atque tunc lauationis tempus, a media hora incipiens, atque in dies, singulis horæ quadrantibus, augescens, ad bihorium vsque *bb)* procurret.

Quomodo lauaturi se parare debeant?

curationis ratio, quæ?

bb) Præstabit nihilominus, si suo se quisque modulo metiri didicerit; cum sint, qui horam vix durare possint; alii vero, duas pluresque horas, siue molestia, laueat.

curret. Quod vbi adſecutus eſt, plures dies, duabus horis lauacro immorabitur, tandemque iisdem, quibus aſcendat interuallis, iuſto ordine, ad eam, a qua cœperat, ordinis menſuram, redibit, atque eum in modum lauationi finem imponet. Horis antemeridianis, lauacrum intraturus, iuſculum, ſed dilutum, neque pingue nimis, ſumet, cui ſi quis potionem *Thee*, vel *Caffee*, ſubſtituerit, conſuetudine forte ſua ductus, nihil eum morabimur. A prandio, id præcipue aduertendum eſt, ne ante cibi, quem ſumſeris, concoctionem, hoc eſt, tres fere poſt paſtum horas, ad thermas accedas, quippe non ſtomacho tantum nociturus, ſed et toti *œconomiæ ſanitatis*. Vt adeo, digni ſint animadverſione, qui non modo prandii tempus, iuſto diutius protrahunt, gulæ nimium indulgentes; ſed ex pleno adhuc ventre, quin vino et ſudore, ex choreis, quas ſubinde adparatas habent, madentes, in balnea ſe proiiciunt, illic poculis, bacchabundi, certant, atque non modo thermarum efficacitatem interuertunt, ſed morbos ſibi etiam accelerant, iis graviores, quam quos ad thermas ſecum attulerunt. Quibus itaque valetudo, ſicuti oportet, curæ eſt, operam dabunt, vt ſe ab iſta intemperie abſtineant, neque ſiue naturæ beneficio, in ſuam perniciem abutantur, ſiue nouis calamitatibus corpus, peſſimo conſilio, exponant. Sollicite ergo prouidendum erit, vt præter moderatam *diætam*, aluus aperta ſit, quæ ſi non ſuccedat, tertia, vel quarta die, mane vel veſperi, *lenitiuum* aut *leue laxans*, ſumendum, ex *ſalibus digeſtiuis, nitro, Cremore Tartari, Tartaro Tartariſato, Sale Anglico, Magneſia nitri, Sennatis, Rhabarinis, Syrupis florum Perſicorum, Roſarum, Mannatis, oleoſis* etc. atque tunc ſi aluus cieri occipiat, mane, vel a prandiis, balneo abſtinendum. In eundem finem inſeruiunt,

animaduerſio in eos, qui eam ſusque deque habent.

cibi

cibi aperientes, *Spinachia*, *Asparagus*, *Pomafrixa*, *Gelatinæ*, et similia, quibus tanquam *diæteticis*, naturæ amicis, aluus fit lubrica. Qua prouidentia opus haud est, si aluus sponte respondeat: vtile nihilominus fuerit, semel atque iterum lauationis tempore, *lene* quoddam *laxans*, sumsisse, atque illis diebus abstinuisse balneo.

§. IX.

Quodsi accidat, sicuti solet omnino, vt sub lauandi tempus, cutis erodatur, et in rubicundas maculas efflorescat; continuanda eousque lauatio est, dum sine medicatione alia, solius vsu balnei, sponte, hoc, quidquid est, *excretionis*, secesserit. Qui molestam hanc efflorescentiam vitare voluerint; est enim cum exquisitissimo doloris sensu coniuncta, apud eos potissimum, quæ delicatiore sunt cuticula; tertiam illi diem, a balneo vacuam habebunt. Lauacro egressis, quietem, vnius alteriusue horæ quadrantis, suademus; ne sanguis concalefactus, vel refrigeretur, subito, corpore libero, aëri intempestiuius exposito, vel magis etiam concitetur, motu quodam vehementiore. Proinde, corpus in lectulum tantisper reclinandum erit, quin tegulis etiam, si id aëris asperitas requirat, iniectis, fouendum, donec æqualis sauguini circulus inducatur. Neque nocuerit, *infusum herbæ Thee*, aut iusculum bibisse, vt ea quoque ratione, *transpiratio* auctior, promoueatur. Ita curato corpore, animus, solitis curis, laxetur, oportet. Hinc quærendi familiares conuictus, deambulationes moderatæ, et si qua sunt hilaritatis, honestæ illius, et quæ corpus animumque recreat, non fatiget, adminicula alia. Modicas, aliqui, choreas, suadent, si quid tamen iis modici

Erosio cu-ctis, *quomodo habenda*

diætæ ratio vniuersim spectata.

modici inesse potest. Quos enim saltandi libido, semel corripuit, nullus his modus poni potest, donec cupiditati penitus litauerint, ingenti subinde valetudinis, vt alia taceamus, intertrimento. Cibus, ad ventriculi ingenium, et habitum corporis, adparetur, necesse est, summaturque, non ad ingluuiem, sed ad rubor: quod de potu etiam dictum velim, largiore quidem eo, et ad hilaritatem quandoque, nunquam ad ebrietatem, hausto. Prandii, atque Coenae, stata sint tempora, neque ea producenda longius, ne seu lauationes postmeridianae intempestiuius instituantur, seu arctiora reddantur nocturnae quietis tempora. Somnus enim temperatus, quemadmodum alias, ita cumprimis in thermis agentibus, multum ad valetudinis, siue conseruandae, siue recuperandae curam, conferre posse putandus est. De Veneris vsu, tritum illud recitasse sufficiat:

Balnea, vina Venus, corrumpunt corpora nostra,
Conseruant eadem, balnea, vina Venus.

Proinde, quo abstinentiorem se lauator praebuerit, eo certiorem salubritatis efficaciam sibi pollicebitur:

cc) *Nam non vlla magis vires industria firmat,*
Quam Venerem et caeci stimulos auertere amoris.

Sed

cc) *Virgilius*, Georg. III, ver. 209.

Sed mulieribus, quæ in menſtruis ſunt, quid ſuadeam, non habeo. Certe plures deprehendi, quibus lauationis tempore, bene ac largiter reſpondebant menſtrua, quam quæ ſuffocata, ſaltem impedita, queſtæ fuiſſent: quapropter vlteriori id quidem experientiæ committendum, reor.

§. X.

Generalia hæc ſunt: *Specialiora*, et quæ ad morbos quosuis pertinent, a Medico repetenda ſunt, perito eo, et non minus indolis thermarum, quam morbi, et eius, qui hunc patitur, naturæ, bene gnaro. Tametſi enim, ea, vnumquemque prudentia eſſe oportet, vt, longiore obſeruatione doctus, norit, quid ſibi ſeu conducat, ſeu noceat; tamen, quam optime collocatam fore putamus Medici operam, ſi cuique, quod oportunum maxime, maximeque ſalutare viſum fuerit, præſcribitur. Exempli gratia: apud *Calculoſos*, internis medicationibus vias relaxari, et ad excernendum diſponi, neceſſe eſt: Apud *Arthridicos* et *Hypochondriacos*, multa, per vrinam, *recrementa* ſecedunt, atque ideo natura, ad proniorem eiectionem inuitanda eſt, iuuandaque: in *fluore albo*, aut impeditis menſtruis, ſubueniri poteſt *emenagogis*; et ſic porro: diæta ſollicitiore, et quæ morbi ingenio conueniat, nunquam non, quam curatiſſime, obſeruata. Ceterum, lauationis tempore rite exacta, *euacuans* ſummatur, oportet: adhibeatur porro, balneum aquæ fluuiatilis, aut fontanæ, quo Sulphur, corporis ſuperficiei, immo poris intimius hæreſcens, elui poſſit. Neque ſuffecerit, ſemel tantum, aut, cum vis morbi adurſit, thermis noſtris ſic vſum fuiſſe; redeundum

Specialiora monita, a perito, medico, poſcenda.

dum iterum eſt, atque id, ſi fieri poſſit, ſtatis in ſingulos annos, temporibus: etiam tunc, vbi de morbo ſecuri ſumus. Solet enim natura, ſemel iterumque, lauatione huiusmodi, reſtituta, corroboratalle, quaſi reminiſci quodammodo temporis, quo beneficio illo mactatam ſemet ſenſit, atque medicationem eandem, variis in corpore moliminibus ſuſcitatis, poſtliminio repoſcere: vnde poſtea, niſi prompte ei reſpondeatur, graues quandoque morbi, neque facile medicationibus aliis ſubigendi, conflantur. Atque hac illa cauſſa eſt, cur bene valentibus nonniſi deſultorium calidarum vſum ſuadere ſoleamus: *Sanus enim homo, qui et bene valet, et ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe obligare legibus debet, neque Medico, neque Iatrolepta indiget*, inquit CELSVS *dd*). Hoc, quibus curæ haud eſt, difficultatibus ſe implicant, haud facile ſuperandis, coguntur que ſua culpa, experiri, *medice viuere*, reuera eſſe *mendice viuere*.

§. XI.

Efficacitatis Thermarum noſtrarum, documenta varia.

Reliquum eſt, vt documenta quædam, ſalubritatis Thermarum noſtrarum exhibeamus, partim a nobis obſeruata, partim communicata ab aliis. Et in *paralyſi* quidem, quam præſentaneam opem tulerint, *Magnifico Domino D. Blümero*, res ipſa loquitur. *Excell. Dominus D. Gelhard*, amicus noſter, *Paralyſin*, ex antegreſſa *Apoplexia*, reſiduam, ſublatam vidit. Ipſus ego, vere proximo, *Paralyticum*, balneo illatum, quatridui poſt ſpatio, pedibus, ſine adminiculis, incedentem, conſpexi: *paralyticum* alium, ex

dd) Lib. I. cap. I.

ex *colica hæmorrhoidali*, male tractata, talem factum, in melius restitutum noui: quin et fæminam, eodem morbo, ex *hemiplexia* prægressa, adfectam, eo vsque redintegratam scio, vt nemine opitulante, ingredi potuerit. Sacerdos S. I. colica inueterata laborans, laudati Domini *Gelhard* consilio, id ex thermarum vsu retulit, vt malum illud depelleretur penitus, segniusque in posterum rediret. *Oedema pedum* apud virum sexagenarium, eumque *cachecticum*, calidis nostris sublatum est. Femina calculosa, continuato aliquantisper balneo, calculum, copioso comitatum sabulo, excreuit. Plures aduersus *Podagricos* dolores, vsu aquarum nostrarum, egregie, quotannis se præmuniunt, gressum indipiscentes firmiorem expeditioremque. *Excellentissimus Mollerus*, *hæmorrhoides*, ante hac respondere nolentes, fere sine sensu, lauationis tempore, successisse obseruauit. Quin et *fluore albo* cessante, *menstrua* in ordinem reuocata, sincerum dedisse sanguinem, meminimus. Peculiare est, quod apud Legatum Præfecti militum, *Locum tenentem* vocant, adnotauimus. Laborabat is ex malo *Ischiadico*, cui pellendo, Medicastri suasu, *saliuationem* adhibuit, qua superata, cum suspicio esset, *Mercurium* haud prouide satis e corpore eductum esse, nouam is *saliuationem* subire nihil dubitauit. Secuta inde sunt *pathemata* varia, eaque refractaria, pedum præcipue, motus ceruicis *spastici*, scapularum et nuchæ exquisiti dolores, cetera. Ad Thermas nostras delatus, cum dies complures vsus iisdem fuisset, sponte eidem saliua cieri denuo cœpit, vt non secus exspueret, ac si tertium, molestissimum medicationis genus subiisset. Sputum egestum, et aëre siccatum, puluerem referebat, calci viuæ simillimum. Lauatione sic continuata, egregie ab iis,

H quæ

diximus, *pathematibus*, conualuit. Longum foret ſingula, quæ nobis innotuerunt, conſectari. Iſta certa ſunt et noſtra ipſorum fide explorata. Vtinam ſperari poſſet, vt lauacris, qualia iam ſunt, *ſtilicidium* adderetur, et *Balneum Laconicum*, ſiue *vaporarium*: in quo ex halitibus calidarum, ſudores prouocarentur; *Dolendum*, inquit IORDANVS, *tam præſtantes aquas ſolis lauantibus inſeruire, inopia domiciliorum, cum tam potu, quam ſtilicidio, maiorem rebus humanis vtilitatem præberent, quam quæ a ſola lotione exſpectari poſſet. Immo foueæ, cauernæ, et ſtubæ, hic inſtitui poſſent, cum calidæ ſcaturiant aquæ: ſed vita et incolumitas a nobis tanti non fit, vt ab iis nationibus, quæ ſanitatem omnibus fortunæ bonis anteferunt: idcirco eius conſeruandæ, aut amiſſæ recuperandæ ſtudio, nihil intentatum relinquunt, etiam circa thermas, ſudatoriis et vaporariis, non paruo ſumtu exſtructis. Superuacuum igitur viſum erat, hic loci, de aquarum vſu diſſerere, quem bibeutibus aut ſtilicidia adhibentibus, præſtant, quandoquidem loci ſolitudo, et negligens cultura, obſtat, quo minus in vſum adhiberi poſſint: ſat erat, vtilitates, quas lauantibus præſtant, enarrare.*

Optatur ſtilicidium et vaporarium.

§. XII.

Epilogus.

Hæc vero ſunt, quæ de *Thermis Trentſinenſibus*, pro mea virili, dicere habui: plura licuiſſet, niſi certa exploratаque dare maluiſſem, quam copioſa. Neque tamen ita mihi placeo, vt credam, opella hac mea, tametſi attenta ad verum, naturam, atque vtilitates Thermarum Trentſinenſium omnes, exhauſtas eſſe penitus. Erunt, bene multa, quæ addi his noſtris poterunt, ſi vſus diuturnior, et ſollicitior obſeruatio, ea, qua par eſt, adcuratione

ratione inſtituta, acceſſerint, quam ego diligentiam, Medicis patriæ noſtræ non minus commendo, quam ægrorum curam; quippe haud ignarus, quantum iſtius modi naturæ beneficia, rite expenſa, momenti habeant, non ſolum ad *praxin clinicam*, ſed vniuerſam etiam rei medicæ Θεωρίαν, amplificandam ornandamque: Vt profecto mirum ſit, in tanto Thermarum Hungariæ numero, longa retro ætate, nihil elaboratum fuiſſe, a viris, quos patria noſtra, ſubinde habuit, Excellentiſſimos, ſiue medendi artem ſpectes, ſiue rerum, ad eam pertinentium, peritiam. Nobis, Thermas Trentſinenſes, quomodocunque cognouiſſe, voluptati fuit. Faxit Numen æternum, vt labor iſte bene vertat, mereaturque, ſi non Obtrectatorum, ſaltem bonorum Adprobationem.

